

**Jo. Mariae Lancisii, Intimi Cubicularii & Archiatri Pontificii, Dissertatio de  
nativis, deque adventitiis Romani coeli qualitatibus, cui accedit historia  
epidemiae rheumaticae, quae per hyemem anni MDCCIX vagata est /  
[Giovanni Maria Lancisi].**

### **Contributors**

Lancisi, Giovanni Maria, 1654-1720.

### **Publication/Creation**

Romae : Apud Franciscum Gonzagam, 1711.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/evxdd9y3>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

V

22105/B


67070

C. XIV. 29

12 - 100. 11

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30538063>



JO. MARIÆ LANCISII

Intimi Cubicularii, & Archiatri Pontificii

DISSERTATIO

De Nativis, deque Adventitiis  
Romani Cœli Qualitatibus,

EVVI ACCEDIT

HISTORIA

Epidemiæ Rheumaticæ, quæ per hyemem  
Anni MDCCIX. vagata est.



Lo. Pugnari Inv.

Ia. Frey Sc. Pin.



ROMÆ,

Apud FRANCISCUM GONZAGAM MDCCXI.

SUPERIORVM PERMISSV.



Ne pereuntes quidem aquæ otiosæ sunt . Nam immun-  
ditiarum facies , & impurior spiritus , & caufæ gra-  
vioris cœli , quibus apud Veteres Urbis infa-  
mis aér fuit , sunt remotæ .

Sext. Jul. Frontinus de Aqueductibus .



... M O X  
... M A D A M A G H O N G C O M  
... T R A M C O M P U S I T U M

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO  
PRÆSULI

Dr. ANNIBALI  
ALBANO

Sanctissimi Domini

CLEMENTIS XI.

Ex Germano Fratre Nepoti.



Jo: Maria Lancisius Felicitatem .



*Ivitatem sanctam, novamque Jerusalem  
Romam, Christianis  
institutis Caput Or-  
bis effectam, quæla-  
tius præsidet Religione Divinâ ,*

quam olim dominatione terrenâ,  
incredibili calumniarum impuden-  
tiâ antiquus humani generis , &  
veritatis hostis adortus est ; nequic-  
quam conatus Arcem sanctitatis  
excindere , & auctoritatem Divi-  
nis Oraculis fultam labefactare .  
Hanc mentiendi licentiam contra  
Jura Sacrorum cum celeberrimi  
Scriptores coercuissent , novas ar-  
tes excusit ; nimirum , ut alacritatem  
fidelium retardaret , ne ad sacrosan-  
& Fidei domicilium confluarent ,  
ad quod venturas omnes gentes  
prædixerat Isaias ; quendam ani-  
mis metum vulgo ingessit , quo pa-  
lam etiam nonnulli affirmare ausi  
sunt , Romam maligno cælo , & in-

*salubri laborare. Cum autem Ca-  
tholicæ etiam Ecclesiæ intersit, ut  
omnes agnoscant, Urbem summo  
Dei omnipotentis consilio adfoven-  
dos incolas, & excipiendos undique  
hospites cunctis bonis locupleta-  
tam; hanc provinciam, ILLUSTRISSE-  
ME PRÆSUL, partim meo mibi jure,  
partim optimi Principis beneficio  
reservatam intellexi; eo quod res  
ipsa Philosophum, ac Medicum  
postularet, & depellenda insalubri-  
tatis suspicio, Sanctæ Urbi, & pio  
Religionis commercio summoperè  
infensa, Pontificis domestico, &  
Archiatro deberetur. Cæterum ope-  
ris materia, quemadmodum ipsa si-  
bi auctorem delegit, ita eadem Pa-*

tronum Tesibi, & Auspicem depo-  
poscit; quem & sanguinis necessitu-  
do Pontifici, & educatio Urbi, &  
dignitas Sedi Apostolicæ, & virtus  
denique Religioni arctissimis vin-  
culis devinxerunt. Sed & arctissi-  
ma ea vincula sunt, quæ auctorem  
non argumento solùm, verùm etiam  
Tibi, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, & suo,  
& operis Patrono, maximoperè ob-  
stringunt. Enim verò, præter singu-  
larem morum suavitatem, eximiam  
eruditionem, ac germanam animi  
pietatem, quæ Te SS. Patruo tuo,  
& Domino meo Clementissimo, no-  
vâ quadam virtutum cognatione  
conjungunt, atq; omnium amorem,  
& admirationem excitant; incredi-

bilis illa ALBANÆ GENTIS in me  
multitudo, & magnitudo meritorum  
non patitur, ut, quidquid conari in-  
genio, aut scripto edere aggredior, &  
mea omnia, & me ipsum alteri de-  
beam. Quæ igitur Tua sunt non  
tam offero, quam persolvo; cum Tu  
vicissim opusculum non tam auspi-  
ciis, & patrocinio, quam sapientiæ,  
& morum exemplis confirmes, &  
illustres. Quo enim argumento Ro-  
mani cœli indolem felicissimam cer-  
tius agnoscant exteræ Nationes,  
apud quas Christianæ Reipublicæ  
summa negotia geris, quam, cum  
eloquentiam, mentis aciem, probi-  
tatem, aliaque animi tui ornamen-  
ta, hic loci educata, atque exulta,

*intuentur? Accipe igitur Romani  
aeris vindicias ad Te properantes,  
morasque diuturnæ absentiæ tuæ  
& gerrimè ferentes. Accipe nostra  
cum adeundi, ac salutandi tui desi-  
deria, tum justissima vota, quibus  
maxima omnia appreciamur tuis  
meritis, ac laboribus debita digni-  
tatis incrementa. Vale.*

*Datum Romæ V. Kal. Octobris  
MDCCX.*

# I N D E X

## T I T U L O R U M.

*Occasio scribendi.*

pag. i

### DISSERTATIONIS PARS PRIOR

De Nativis Romani Cœli Qualitatibus.



<b>C</b> ap. I. <i>Ad nativam Romani Cœli salubritatem, argumentorum capita indicantur.</i>	5
Cap. II. <i>Situs Urbis à salubritate laudatur.</i>	8
Cap. III. <i>Nonnulla de Ventis in genere, deque illis, qui Romæ salubres flare solent. Agitur quoque de indole Voltturni, quem vulgus Scirocco appellat, deque Austro, atque Africo Romanis interdum infenso.</i>	13
Cap. IV. <i>Austrum lenem, ac sereno cœlo flantem, Romæ etiam plerunque utilem, ac salutarem; vehementem verò, ac turbidum esse insalubrem; semper tamen, æstate præsertim, perniciosum, cum per vicina palustria, ac cœnosa loca transferit.</i>	22
Cap. V. <i>Inconstantiam aeris, quæ Romæ à facili contraria ventorum aditu proficiscitur, neque magnam esse, neque nostris incolis infestam, sed potius formandis eorundem corporibus, animisque summopere utillem.</i>	30
Cap. VI. <i>De Aquis in genere, quarum nullas in Urbe noxias, sed plerasque omnino salubres demonstrandum proponitur.</i>	34

b

Cap.

I N D E X

Cap.VII. <i>Designis, quibus dulcium aquarum salubritas, aut insalubritas dignoscitur.</i>	36
Cap.VIII. <i>Recensentur species aquarum dulcium, que plus minus Romæ à salubritate commendantur; &amp; primò agitur de aquis spontè nascentibus, que omnium maximè laudantur.</i>	41
<i>De Aqua Grilli dicta.</i>	42
<i>De Aqua B. Felicis.</i>	ibid.
<i>De Aqua ad Ripam Tiberis.</i>	43
<i>De Aqua S. Damasi ad Vaticanum.</i>	ibid.
Cap.IX. <i>Puteales quoque aquas in Urbe salutares esse.</i>	45
Cap.X. <i>De Aquis per aqueductus Romanam advectis, ex quibus fons Trivii præfertur.</i>	46
<i>De Aqua Salonia, seu Trivii.</i>	47
<i>De Aqua Felici ad Diocletiani Thermas.</i>	ibid.
<i>De Aqua Sabbatina in summo Janiculo.</i>	48
Cap.XI. <i>De Aqua Tiberis in potum salubriter adhibita.</i>	49
Cap.XII. <i>De Cisternarum Aquis, &amp; cur Romæ non sint admodum in usu.</i>	51
Cap.XIII. <i>Analysis ad ignem facta, una cum respectiva gravitate Romanarum aquarum.</i>	53
<i>I. Analysis Aquæ Fontis, seu rivuli fluentis ad ripam Tiberis.</i>	56
<i>II. Analysis Aquæ Fontis, vulgo nuncupati Mar-chionis Grilli.</i>	58
<i>III. Analysis Aquæ B. Felicis.</i>	59
<i>IV. Analysis Aquæ è Fonte Vaticano.</i>	60
<i>V. Ana-</i>	

CAPITUM, ET TITULORUM.

<i>V. Analysis Aquæ Fontis Trivii.</i>	61
<i>VI. Analysis Aquæ ad Thermae Diocletiani.</i>	62
<i>VII. Analysis Aquæ Fontis in Janiculo, quæ à lacu potissimum Sabbatino, seu Bracchianensi deri- vatur.</i>	63
<i>VIII. Analysis Aquæ Tiberinæ.</i>	64
<i>De respectiva inter se gravitate Romanarum aqua- rum.</i>	66
<i>Die V. Septembris MDCCIX. Pondus Aquæ ad ri- pam Tiberis.</i>	ibid.
<i>Pondus Aquæ Tiberinæ.</i>	67
<i>Pondus Aquæ B. Felicis, &amp; Marchionis Grilli.</i>	ibid.
<i>Pondus Aquæ Fontis Trivii.</i>	ibid.
<i>Pondus Aquæ ad Thermae Diocletiani.</i>	ibid.
<i>Die VII. Septembris ejusdem anni MDCCIX. Novum experimentum Ponderis Aquæ Fontis Trivii.</i>	68
<i>Pondus Aquæ ex lacu Sabbatino.</i>	ibid.
<i>Pondus Aquæ ad Ripam Tiberis, &amp; Aquæ S. Da- masi in Vaticano.</i>	ibid.
<i>Cap. XIV. Solum Romanum simplicibus theriacalibus refertum, omniumque rerum ferax, Cœli salubri- tatem confirmat. Objecta refelluntur.</i>	69
<i>Cap. XV. Ex florido colore Civium Romani cœli cle- mentia deducitur.</i>	74
<i>Cap. XVI. Ex Romanorum ingenio, &amp; prudentiâ Urbis salubritas asseritur.</i>	77
<i>Cap. XVII. Vernaculos morbos nullos Romæ omnibus Civium ordinibus communes inveniri.</i>	81

I N D I C E

- Cap.XVIII. Romanorum longævitas salubritatis aeris testimonium. 86
- Cap.XIX. In Urbe, quemadmodum magnis omnibus in civitatibus, plerosque abhuc juvenes, multos etiam post sexagesimum annum, potius vitæ nondum mutatæ, quam climacterici anni culpâ decedere. 92

DISSERTATIONIS PARS POSTERIOR  
De Adventitiis Romani Cœli Qualitatibus. 95

- C**ap.I. Ostenditur, adventitiam labem ex aquis stagnantibus Romano cœlo in infantia æquè, ac maturitate Imperii fuisse familiarem, summumque propterea studium purgandis cloacis priscos adhibuisse. 97
- Cap.II. De Arte, quâ olim, deductis in libertatem aquis, Romana salubritas servabatur, & de Legibus eam in rem conditis. 104
- Cap.III. Quo Romanorum Pontificum seculo ex palustribus aquis huic cœlo adventitia labes accesserit. 112
- Cap.IV. Recensentur tempora, quibus Roma, Pontificum curâ exiccato solo, ad pristinam salubritatem revocata est; quæ à Pio V. usque ad nostram ætatem aucta ostenditur. 122
- Cap.V. Occurritur iis, qui in solam incolarum infrequentiam rejiciunt adventitiam Romani aeris insalubritatem. 134
- Cap.VI. Frequentes Balneas, & Naumachias nihil Romano aeri obfuisse. Agitur de studio constructionis, &

cui-

CAPITUM, ET TITULORUM.

- curâ purgationis earundem. 138
- Cap.VII. Venas vitrioli, sulphuris, aliorumque mineralium, quæ Romano in agro patent, ejusdem aeri non obesse, nisi stagnantibus aquis corruptantur. Disputatur de Temperamentis salubrioribus æstatis, atque hyemis, quæ in Urbe citra excessum sint oportet. 145
- Cap.VIII. Timorem pernoctandi in suburbis Romanis alicubi prudentem, alicubi verò anilem esse; sèpius tamen vitæ periculum apud Cives non ab aeris labe, sed ab erroribus in sex rebus nonnaturalibus, qui occasione rusticandi committuntur, imminere. 153
- Cap.IX. Ventos Australes, quos Romanus ager facile excipit, ac sifit, idcirco aeri labem communicare, quod paludes, cœnosamque terram inveniant. Nonnullæ etiam de Urbis caligine. 161
- Cap.X. De Tiberis inundatione tanquam unâ ex causis adventitiæ insalubritatis Romani aeris. 165
- Cap.XI. Ex Tiberis inundatione palustrem aeri noxam accedere, nisi eidem opportunis præsiis occurratur, & quæ ista sint, ostenditur. 177
- Consilium humiliter subjectum SS. Domino Nostro CLEMENTI XI. ut, postquam die XXII. mensis Decembris anni MDCCII. Tiberis inundasset, ima Urbis loca ab illato cœno, pro conservanda Romano aeri salubritate celeriter abstergi, ac vindicari juberet. 181
- Exitus præfati Consilii. 185
- Cap.XII. De Adventitiis Romani Cœli Qualitatibus à subito, summoque frigore, deque subortis populariter an-

I N D E X

<i>anginis, ac peripneumoniis tam benignæ, quam malignæ nature.</i>	186
<b>HISTORIA ROMANÆ EPIDEMIÆ.</b>	
<i>Cap.I. Constitutio tempestatum autumni, atque hyemis annorum M DCC VIII. ac M DCC IX.</i>	193
<i>Cap.II. Qui morbi, qualesque, qua in regione Urbis minus, &amp; per quem sexum, ordinemque hominum magis vagati sint, quæ tandem in cadaveribus præcipue observata fuerint.</i>	196
<i>Cap.III. Quæ adhibita à Beatissimo Patre publicæ incolumitatis præsidia.</i>	198
<i>Sec.I. Mandatum de Urbe à sordibus expurganda.</i>	199
<i>Sec.II. De relaxando quadagesimali ciborum delectu disceptatur.</i>	200
<i>Cap.IV. Congregatio in ædibus Eminentissimi Cardinalis Marescotti habita ad naturam, causas, &amp; remedias confluentium morborum investiganda.</i>	202
<i>Sec.I. Auctoris sententia, de natura, causis, &amp; remediis epidemiacis in quatuor capita divisa.</i>	204
<i>Examen Capitis primi.</i>	206
<i>Inquisitio Capitis secundi.</i>	208
<i>Tertium Disputationis Caput.</i>	214
<i>Postremum Caput.</i>	217
<i>Sec.II. Epitome sententiarum Dominorum Medicorum, qui huic Congregationi interfuerunt.</i>	222
<i>I. D. Thomasini Protomedici.</i>	ibid.
<i>II. D. Trulli.</i>	223
<i>III. D. Modii.</i>	224
<i>IV. D. Si-</i>	

CAPITUM, ET TITULORUM.

IV. D. Sinibaldi.	225
V. D. Fossumbronii.	226
VI. D. Realis.	ibid.
VII. D. Paccioni.	227
Sec. III. Sententia Illusterrimorum Praeceptoris S. Spiritus, & Custodum Nosocomii S. Jo: in Laterano.	228
Sec. IV. Decreta Congregationis habitæ in ædibus Eminentiss. D. Card. Marescotti, ad SANCTITATEM SUAM deferenda.	230
Cap. V. Progressus tam constitutionis temporum, quam epidemiæ per totum Martium, & principium Aprilis.	233
Cap. VI. Popularis morbus in malignam naturam transmutatur. Tandem ineunte Junio desinit, ac penitus extinguitur.	237
Cap. ult. Epidemiæ Historia duabus epistolis ulterius illustratur.	241
Epistola Cl. D. Fantoni ad Auctorem.	ibid.
Responsio Auctoris ad eundem Fantonum.	243
Epilogus, & Conclusio totius Dissertationis.	246
SUMMARIUM EDICTORUM,	
Quæ in decursu rheumaticæ Epidemicæ indicata fuerunt.	
Lit. A. Edictum, ut Urbs à sordibus quam citissime expurgetur.	248
Lit. B. Edictum, quo currentis Quadragesimæ tempore permittitur usus ovorum, & lacticiniorum.	252
Lit. C. Edictum, ut desides aquæ, cœno saque corpora post Tiberis inundationem amoveantur.	254

IMPRIMATUR,  
Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. de Zaulis Archiep. Theodosiae Vicesger.

---

APPROBATIO

Illustriſſ. ac Reverendiss. Præfulis Jo:Christophori Battelli  
ab intimo Cubiculo, & Bibliotheca SS. DOMINI.

**M**ündante Reverendissimo Patre Paulino Bernardinio Sac. Palatii Apostolici Magistro diligenter perlegi librum inscriptum: *Jo: Mariae Lancisii intimi Cubicularii, & Archiatri Pontificii Dissertatione de nativis, deque adventitiis Romani cœli Qualitatibus*; cui accedit *Historia Epidemiac Rheumaticæ, quæ per hyemem anni 1709. vagata est: nihilque* in eo, quod Orthodoxæ Fidei, vel morum disciplinæ adverſetur, offendit; quinimmò Dissertationem ipsam multiplici, solidâque eruditione refertam, & præclaris animadversionibus, optimisque, ac saluberrimis monitis ad tuendam sub Romano cœlo valetudinem ubique redundantem inveni. Quapropter non Reipublicæ modò Literariæ pergratam, verū etiam Romanis Civibus, & Incolis maxime utilem futuram censeo, adeoque publicâ luce dignissimam arbitror. Hac die 25. Januarii 1711.

Jo: Christophorus Battellus.

---

IMPRIMATUR,  
Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

Occa-



# *Occasio Scribendi.*



Ix cœperam scribere  
de Noxiis Paludum Ef-  
fluviis , quod opus ad-  
huc studium nostrum  
exercet,cum Romanus,  
quem premimus , ager  
succurrit; quippe qui ,  
juxta temporum vicis-

situdines, à stagnantibus aquis nunc vin-  
dicatus , nunc obrutus , varias itidem  
salubritatis , & insalubritatis vices ex-  
pertus est. Quapropter consentaneum  
rationi duximus , ad disputandum di-  
gredi de Nativis , deque Adventitiis Ro-  
mani Cæli Qualitatibus , sperantes , brevi

Tractatum de  
Noxiis Paludum  
Effluviis Auctor  
pollicetur , unde  
ad hanc Differ-  
tationem digres-  
sus est .

A nos

nos esse in viam redituros. At quoniam argumenti dignitas, atque ubertas scribenti mihi majorem semper copiam rerum suggerebat; tandem intellexi, nos longè deerrasse ab eo, quod orsi fueramus exponere. Idcirco majorem operi claritatem, operæque pretium conciliaturi, subsidiariam hanc Dissertationem tantò quidem alacrius instituere aggrefsi sumus, quantò magis eadem, non solum libros nostros de Paludum Effluviis illustrare, verùm illos quoque Medicos, qui Artem potissimum Romæ facturi sunt, multarum rerum cognitione instruere potest, quas eosdem scire oportet, prius quam ad curandos cives, vel advenas accedant. Meâ etenim, immò Hippocratis<sup>a</sup> sententiâ nemo Clinicorum alicubi esse potest vel mediocri famâ celebratus, quin ante omnia locorum, in quibus se velit exercere, cum positiones, ac ventos, tum aquas, & cæteras aëris, & alimentorum qualitates (quæ urbium cœlum constituere videntur) probè cognoverit. Quod itaque principi-

*a De aer. loc. &c  
aquis n. i.*

*Cœli qualitates  
noſſe Medicum  
oportet.*

cipio alterius tantummodo operis mem-  
brum, seu auctarium erat, aliis modò ad-  
junctis partibus, unum in corpus coag-  
mentatum Tu, benigne Lector, videbis;  
& fere id mihi, quod falsè Lucilius, eve-  
nisse, dixeris: *Mantissa obsonium vincit.*

II. Damus itaque non pauca deside-  
rio jam penè publico, videlicet, ut homi-  
nibus ex universo fere Orbe Romam  
confluentibus, aut confluere cupienti-  
bus, statim occurrat, quæ propria, ac sua  
sit hujusce cœli natura. Inde namque  
facilius quisque cognoscet, quænam  
subinde qualitates, propter ea, quæ in-  
terdum Urbi recens accedunt, sint ad-  
ventitiæ. Enimvero turpissimum repu-  
tavi, quippe non civis modò, sed Roma-  
nus ipse natus, ea per incuriam negle-  
xisse, quæ doctissimi Scriptores <sup>b</sup>, ta-  
metsi alienigenæ, præcipuum suorum  
laborum argumentum selegerunt. Et  
quoniam rectè Divinus Plato <sup>c</sup> ad Ar-  
chytam *unumquenque nostrum*, ait, *non*  
*sibi solum, sed patriæ, sed parentibus, sed*  
*amicis natum esse*; ideo studendum mi-

*Argumentum*  
*Auctori, utpote*  
*Romano Civi, non*  
*negligendum.*

<sup>b</sup> Alex. Petronius Civit. Ca-  
stellanae.

Marsilius Ca-  
gnatus Veron.

Jo:Baptista Do-  
nus Florentinus,  
de Romano ae-  
re copiosè, ac  
disertè scrip-  
runt.

<sup>c</sup> Epist.9.

hi duxi, ut & ipse deprehenderem, & cæteris intelligendum traderem, quid in Romano cœlo laudandum, quid culpandum foret; quid possit, quidve in eo nequeat emendari. Quanquam, ut ea, quæ medicâ quadraginta fere annorum exercitatione apud Cives meos per me in hoc argumento animadversa fuerunt, scripto commendarem, non tam meâ mihi sponte deliberatum est, quam Amicorum consilio, quibuscum non semel contra vulgatam de Romani aëris insalubitate opinionem differui.


*Operis proposi-  
tum, & divisio.*

III. Itaque id primum omnium demonstrandum suscepimus, cœlum Romanæ Urbis suapte natura esse salubre, quanquam ob adventitias causas, nunc stagnantium aquarum, nunc pertinacium nivium, ac furentium septentrionalium ventorum, & olim fuerit, & esse possit insalubre.

DIS.

# DISSERTATIONIS PARS PRIOR

## De Nativis Romani Cœli Qualitatibus.



*Ad nativam Romani Cœli salubritatem  
argumentorum capita indicantur.*

### C A P. I.



ICET non ipse sim, qui vulgi  
duntaxat assensu, vel nudis  
auctoritatibus de rerum na-  
tura soleam judicare; infi-  
ciari tamen nequeo, sapien-  
tissimorum Scriptorum judi-  
cium, ubi experimentalem  
materiam tractant, momenti  
habere plurimum. Non quod natura opinionibus  
hominum, ac sententiis obsequatur; sed quod illi  
veritatem, propriis plerunque sensibus haustam,  
expeditius Lectoribus propinat; alienisque labo-  
ribus, & experimentis magna nobis rerum co-  
gnoscendarum accedant compendia. Qua de re-  
Solis auctorita-  
tibus de natura  
non judicandum.  
Earum plerun-  
que utilitas non  
contemnenda.  
na-

nativam hujus cœli clementiam ostensurus , à Strabonis <sup>a</sup> testimonio incipiam ; hic namque Auctor , ut gravis est , & verax , ita Romani nominis minimè assentator . Huc accedit , quod inter priscos Geographos nemo plures Mundi plagas lustravit , aut majori diligentia descripsit . De salubritate igitur totius agri Romani , præter nonnulla loca , in quibus subsidunt aquæ palustres , hæc ait : *Omne Latium felix est , & omnium rerum ferax , exceptis locis , quæ palustria sunt , atque morbosæ , qualis est Ardeatinus ager inter Antium , & Lavinium usque ad Pometiam ; & Setini agri quedam , & circa Tarracinam , & Circejum .* Itaque Romanus ager , ubi à lymphis , utcunque hærentibus , vindicatur , salubri cœlo suapte natura gaudebit ; ubi è contrario , propter habitantium incuriam , vel impotentiam , uodus , ac palustris reperitur , non terræ , aut aëris , sed aquarum culpâ , omnino morbosus occurret , qui-cum consonant Dionysius Halicarnassæus , Andreas Baccius , aliique .

II. Sed , ne auctoritates congerendo , nimium à solidiori demonstrandi ratione , quam per propria potissimum experimenta in animum nostrum induximus adhibere , longè divertam ; inter politissimos Scriptores unum Marfilium <sup>b</sup> Cagnatum , cui plurimum nos debere fatemur , testem citavisse fatis erit , qui integrum commentarium de Romani

<sup>a</sup> Lib. 5. sive  
Geographiæ.

Strabonis laudes.

Romanus ager  
suapte natura sa-  
lubris , interdum  
aquis hærentibus  
insalubritate la-  
borat .

<sup>b</sup> per totum  
comment. de sa-  
lub. Rom.aer.

Marsilius Ca-  
gnatus comen-  
datur .

ni aëris salubritate, multigena eruditione refer-  
tum, exaravit.

III. Quod autem firmo experimentorum con-  
cursu Romanum cœlum, ubi stagnantibus aquis  
non inficitur, naturâ suâ sit omnino salubre, ac  
temperatum, ea profectò perspicuè demonstrant,  
quæ tanquam causæ bonitatis aëris ab Hippo-  
crate <sup>c</sup> peculiari libro indicantur, scilicet primò  
situs Urbis; secundò venti, quibus liberè perfla-  
tur; tertio bonitas aquarum dulcium; postremò  
terra, quæ fertilis est, ac simplicibus theriacalibus  
redundat. Neque porrò ab eodem scopo abludunt  
totidem argumenta, quæ, licet ab ipsius aëris effe-  
ctibus deducantur, adhuc tamen innocuam, ac sa-  
lutarem ejusdem indolem confirmant. Nimirum  
primò optimus Romanorum color; deinde acre  
corundem ingenium, & suaves, temperatique  
mores; tertio morbi vernaculi apud cives cautè  
vientes, per se fere nulli; tandem multitudo se-  
num, qui nostra præsentim ætate benè, tranquil-  
lèque incolunt Urbem.

IV. Hæc igitur singillatim, diligenterque pro-  
banda aggredior, ut exteræ Nationes intelligent,

me ad hæc scribenda animum appulisse  
veritatis potius amore, quam  
Patriæ.

<sup>c</sup> Lib. de aer.  
loc. & aqu.

Quatuor veluti  
causæ salubritatis  
aeris Romani.

Totidem salubri-  
tatis argumenta  
ex effectis.

*Solo veritatis  
amore ducitur  
Auctor.*

*Situs Urbis à salubritate laudatur.*

C A P. II.

*a Loc. supra cit.*

*Duo præcipue  
consideranda in  
situ urbium.*



Oc primum demonstrandum nobis proponimus, quoniam Hippocratis<sup>a</sup> testimonio, *ubi quis ad urbem sibi incognitam pervenerit, ejus situm considerare debet.* Quanquam verò ad situm urbium multa pertineant, duo tamen præcipuè sunt à Medicis cognoscenda; primum, an illæ in monte, an in plano, an in mixto loco sint positæ; alterum, quomodo eædem ad coeli aspectus, ac præcipuè ad Solis ortum, atque occasum se habeant.

II. Utraque autem animadversio sedulo inspectori ad commendationem Romani aëris concurrit. Etenim Roma, mirabili certè vel casu, vel consilio, vel etiam necessitate cogente, ut Strabo<sup>b</sup> putavit, inter nitidissimos colles, amplas convalles, latamque planiciem excitata fuit, ut ex tot inter se non diversis modò, sed quasi contrariis locis mixta quædam ex omnibus consurgeret atmosphæra, cui postmodum non diversæ modò, sed quasi sibi contrariae, ad eam confluxuræ

*b Loc. cit.*

*Mixta Romæ  
atmosphæra Na-  
tionum diversita-  
ti maximè con-  
gruit.*

xuræ Nationes facile, breve posse assuescere. Aër enim cum sit fluidum corpus, quod à Sole potissimum, Luna, ac ventis inæqualiter pellitur, perenni motu agitatur: hinc subtilior aër, qui colles transcurrit, minimo negocio ad amplas valles (latis nostro ævo, non angustis, quemadmodum Ciceronis tempore, itineribus pervias) descendit, vicissimque solvit, & ascendit alter, qui in convallibus (nunc elatioribus redditis propter priscorum ruinas ædificiorum, super quæ novæ ædes extructæ sunt) lentè circumfluit, quique à domorum ignibus, à motibus salientium fontium, pulsatarum campanarum, & discurrentium civium sursum etiam premitur, atque urgetur. Quapropter hoc titulo Romanum cœlum tam juvenibus, quam senibus, nec biliosis modò, sed etiam lymphaticis temperamentis facillimè congruit.

III. Tum & illud compertum est, Urbis atmosphærā, sicuti ob mixtiformem, blandamque naturam, propter allatas conditiones, sanis quibusvis corporibus ocyssimè accommodatur; ita ægris, ex chronicis morbis laborantibus, sola ædium mutatione à locis humilioribus in editiora, vel contra, sumnum afferre levamen; ut multos idcirco, quibus mors impendebat, simplici hoc medicamine aëris passim ereptos spectemus, nostra præsertim ætate, quâ sensim auctus cum divitiis

*In lege agr.  
cont. Rullum.*

*Romanum cœlum temperamenti diversis aptissimum.*

*Simplici aeris medicamine ægroti sæpe à morbis restituti.*

## 10 DE NATIVIS ROMANI

<sup>d</sup> Lib. i. de re  
rust. cap. 4.

populus, novis excitatis ædificiis, colles, quos olim reliquerat, rursus frequentat. Aër verò collium, Columella <sup>d</sup> teste, calore, ac frigore temperatus est. Quinimo hic, atque illic exiccato in vallibus, quod jam udum erat, solo, multæ Urbis regiones, quæ temporibus Alexandri Petronii, & Jo: Baptiste Doni, propter lutosum, putidumque statum damnabantur, nostra ætate omnino salubres evaserunt.

IV. Sed cum alicui videri possit Urbis situs, nec plenè descriptus, nec satis laudatus, nisi cum cæteris, ac potissimum cum finitimis plagis comparetur; meritò eruditissimus Cagnatus demonstrare contendit, Urbem Romam (superiorem potius Romani agri partem) in Italiæ meditullio situm habere, quod, apposita icone, graphicè etiam ostendit. Est insuper Urbs quinti Climates locus medius, cuius tum dies, tum nox longissima horarum est quindecim. Proinde non <sup>e</sup> Loc. cit. pagina 15.  
<sup>f</sup> Decad. i. lib. 5. cap. 30.  
<sup>Camillus situm  
Urbis laudat.</sup> injuriâ Furius Camillus gravi apud Livium <sup>f</sup> oratione Romanam plebem retenturus, ne incensam, ac dirutam per Gallos Urbem relinquenteret, atque Vejos commigraret, ejusdem situm his verbis commendavit: *Non sine causâ Dii, hominesque hunc Urbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipientur: mare vicinum ad*

com-

## COELI QUALITATIBUS. II

commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum: regionum Italiæ medium ad incrementum Urbis natum unicè locum. Quod fusius alibi idem Livius, & post illum Plinius & junior tractarunt argumen-

g In Panegyr.  
ad Trajan.

tum.

V. Vitruvius <sup>b</sup> quoque Geographiæ, atque Astronomiæ peritissimus, hujus naturam cœli in hanc sententiam descripsit: *Placuit, ut inter spatia totius orbis terrarum, regionumque medio mundi, Populus Romanus possideret fines; namque temperatissimæ ad utramque partem, & corporum membris, animorumque vigoribus præ fortitudine sunt in Italia gentes: quemadmodum enim Jovis Stella inter Martis ferventissimam, & Saturni frigidissimam media currens temperatur; eadem ratione Italia inter septentrionalem, meridionalemque ab utraque parte mixtioribus temperatas, & invictas habet laudes. Itaque consiliis refringit barbarorum vires, forti manu meridianorum cogitationes. Ita Divina Mens civitatem Populi Romani egregiâ, temperatâque regione collocavit, uti orbis terrarum imperio potiretur. Liquet igitur, Urbem, etiam cum Universitate comparatam, loco positam saluberrimo, ac temperatissimo.*

b Lib. 6. archit.  
cap. i.

Insignis Vitruvii  
locus desitū Ro-  
manæ urbis,

VI. Præterea, cum Roma in medio latissimi agri fuerit ædificata, liberum habet Solis tum

ortum, tum occasum. Et quanquam tot colles nascenti Soli adversam, occidenti verò aversam, & è contrario, faciem exhibeant; atque idcirco ejus radiis privare convales non exiguâ diei parte videri possint, nihilo tamen minus hoc non modo aëris salubritati nihil obstat, quin potius nimiam Solis vim in Urbe, alioquin ad meridionalem plagam vergente, inter æstivos calores alternando, prodeesse solet: omnia enim extrema naturæ sunt inimicæ.

*Collium Romano-  
rum utilitas.*

*A montibus &  
mari utiliter Urbs  
distant.*

VII. Profectò ipsam Urbis positionem inspestantes, non obscuras salubritatis Romani soli rationes habemus, quod nec arenoso maris litori, nec præruptis, altisque montibus adjaceat. Etenim, cum hinc à mari, inde à montibus non minus quatuordecim passuum millibus disternetur, quidquid à pelago nimis æstuosum, quidquid à montibus nimis rigidum Urbem versus procurrit, non brevi telluris itinere frangitur, ac mitescit. Quinimmo Roma declinandis hinc, & inde Solis radiis ita appositè sita est, ut, quanquam penè ad meridiem vergat, obverso tamen, ut supra monuimus, multorum collium dorso, objectisque magnorum ædificiorum molibus, ferventior per æstatem Solis ardor obtundatur, ac temperetur. Itaque nullum dubium supereesse videtur, quin, qua parte situs Urbis inspicitur, de salubritate debeat commendari.

Non-

*Nonnulla de Ventis in genere , deque illis , qui  
Romæ salubres flare solent . Agitur quoque  
de indole *Vulturni*, quem *vulgus Scirocco*  
appellat, deque *Astro*, atque *Africo*,  
*Romanis interdum infenso* .*

## C A P. III.



UEMADMODUM ventorum beneficio maritimis cursibus ultro , citroque merces è diffitis terrarum regionibus asportantur ; ita iisdem quasi vehiculis aliarum terrarum effluvia , vapores , nebulæque incubantes , aliis inferuntur , & quas plerunque fordes , puro , sinceroque aëre adducto , à multis locis everrunt , easdem ad nova advehunt . Quo fit , ut sæpe eodem vento alia purgetur regio , alia inquinetur ; immo eadem interdum , & propriis mundetur inquinamentis , & fordescat alienis .

II. Quanquam verò non sit animus , plenariam ventorum doctrinam , singulis investigatis causis , hic attexere , ( peculiarem enim libellum requireret ) advertendum tamen maximè omnium arbitramur , unicuique vento peculiarem inesse

tum

*Venti regionum  
fordes everrunt.*

tum motum aëris ab una in aliam mundi plagam,  
nunc recto, nunc obliquo, interdum etiam vor-  
ticoso itinere; tum mixturam diversarum parti-  
cularum, ipsi dimoto aëri permixtarum.

*Singulis ventis  
peculiaris est ae-  
ris motus, & mix-  
tura particula-  
rum.*

*Quas vices  
pariat diversitas  
motus in ventis.*

III. Porro motus facit, ut ventus non solùm  
cieatur in aëre, quasi vehemens undarum agmen  
in pelago, sed veram sàpe procellam, & cum  
turbine tempestatem efficiat. Etenim, cum at-  
mosphæra sit corpus liquidum, & compressibile,  
quoties apud eandem augetur impetus, vel mi-  
nuitur resistentia, vel simul utrunque contingit;  
pro vario quidem istarum causarum concursu,  
& concursionis gradu, diversâ quoque vi facilli-  
me irrumpit, nititurque suo etiam elatere.

*Ventorum diver-  
sa genera ex di-  
versitate particu-  
larum, quas con-  
vekunt.*

IV. Mixtura verò particularum, quæ vel aëri  
motum imprimunt, vel in cursu immiscentur,  
cum esse possit multigena; nil mirum si multi-  
gena pariter flaminum indoles nobis occurrat.  
Profectò venti in tot genera calidorum, tepen-  
tium, frigidorum, siccorum, humidorum, bene,  
aut malè olentium, salubrium, insalubrium, aut  
etiam pestilentium, propter solam rationem im-  
petus, non possent discriminari; nisi diversa cor-  
pusculorum genera dimotum aérem comitarentur,  
atque in terraqueum orbem, & potissimum in  
ipsa viventia suas quæque vires exercent. Id-  
circo venti non ubique eandem servant naturam,  
sed multifariam, præcipue verò secundùm diversos

gra-

gradus impetus, quibus feruntur, & variam indolem corpusculorum, quæ vel deponunt, vel secum abripiunt, inter se differre solent.

V. Docuit hoc primus omnium Hippocrates <sup>a</sup> qui naturam, & facultatem Boreæ, atque <sup>a De Diæta n. 2.</sup> <sup>& 3.</sup> Austri, tanquam cæterorum regulam ostensurus, aptissimè scripsit, omnes ventos *initio babere naturam humectandi, ac frigefaciendi,* (quippe quos putavit ortos à glacie, nive, gelu, fluminibus, terraque humecta) *verùm propter situm locorum, per quæ venti ad singulas regiones accedunt, diversos inter se fieri, frigidiores, calidiores, humidiores, sicciores, morbosiores, salubriores.*

VI. Propterea legimus, Austrum, qui in Europa, ac præfertim apud maritimas Italiae oras æstuosus, atque humidus plerunque sentitur, in Libya (ut Aristoteles <sup>b</sup> testatur) adeo frigidum apparere, ut ferè similem Aquiloni nostro rigorem inducat, cuius phænomeni causam probabilem eam arbitror, quod aër, cum in Libya penè semper immotus ferveat, si flabello Austri è propinquo terrestri itinere spirantis interdum ventilari contingat, Libycorum corpora, motionibus aëris non admodum assueta, minimo negocio ad frigiditatis sensum possit excitare; cuius aliam eventus rationem multò prius ex Aristotelis sententia deduxerat insignis ille Philosophus Urbinas <sup>c</sup> In annot. ad lib. Theophrasti Federicus Bonaventura <sup>c</sup>, cum scripsit: *Austros de ventis pag. 89.*

*Idem ventus non eandem ubique naturam servat.*

*Africus in Libya frigidus, & qua-*

*b 26. Sec. probl.  
51. & rursus pro-*

*bl. 49.*

*In annot. ad lib. Theophrasti*

*Federicus Bonaventura*

*de ventis pag.*

*in*

## 16 DE NATIVIS ROMANI

*in Libya frigidos esse, ut apud nos Aquilones; quia, ut nobis Aquilonum origo, sic Libyæ Austrorum propior est: flatum enim omnem per angustum propioribus extrudi; ideoque propter videntiam sui motus illis occurrere frigidorem.*

*Zephyrus Vasconiae infensus.*

*d Exercit. 285.* VII. Narrant quoque Zephyrum, qui salubribus ventis accensetur, Vasconiam incolentes propter terræ situm, teste doctissimo Scaligero <sup>a</sup>, maligno flamine verberare.

VIII. Sed, ne tempus in re alioquin perspicua inutiliter teramus, curiosus discriminum ventorum à diversis regionibus venientium, aut per varias discurrentium, consulat inter alios Bonaventuram <sup>c</sup>, Septalam <sup>f</sup>, Verulamium <sup>g</sup>, Donum <sup>b</sup>, & Ramazzinum <sup>i</sup>, quorum postremus, probaturus, tales esse ventos, qualia sunt loca, per quæ ipsi transierunt, clarè ostendit, Austrum non ubique locorum esse pluviarum pincernam, ut illum Divus Hieronymus appellat, sed multis re-

*e Loc. cit. & in libro ventorum motus passim.* b Loc. cit. pag. g Hist. Ventor, tit. qualit. & potest. ventor. pag. 26. gionibus serenitatem afferre (ut Apulis præ cæ-  
80. & seq.

*i Ephem. Baromet. pag. 28.* i In comm. lib. <sup>k</sup> cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit; & cum au-

*l Luc. 12. v. 54. & 55.* strum flantem, dicitis, quia aestus erit, & fit.

Austri ergo in Palæstina, propter iter semper terrestre, aestum excitant, non pluvias, quæ potius ibi

*Auster non ubique pluviarum pincerna.*

*k In comm. lib. 3. aph. 5.*

*l Luc. 12. v. 54. & 55.*

ibi loci à nubibus , & ventis de mari ad occasum posito venientibus , prænunciantur. Longiorem sacri hujus textus commentarium , multa eruditione respersum , edidit Franciscus Vallesius <sup>m</sup> , quem curiosus Lector consulere poterit .

<sup>m</sup> De sac. Philos. cap. 86. pag. mihi 418.

IX. Nos interim dicturi de ventis , quibus Roma perflatur , satis habemus , si ex quatuor cardinalibus tres salubres , cum moderati flaverint , admittamus in Urbe , Orientales scilicet , Aquilonares , & Occidentales ; ii namque & moventur per loca temperata , & , quod magis refert , obstacula prope Urbem , quibus remoren tur , aut magnas paludes , quibus inquinentur , non inveniunt . Quartus verò , nimirum Auster , liberius adhuc , quam cæteri , Romam perflat , sed non proinde regionem hanc morbosam reddit , nisi ubi hærentes aquas inveniat , ut suo loco demon stramus .

*Qui venti Rome  
salubres.*

*Auster , nisi hæ-  
rentes aquas in-  
veniat , insalu-  
brem aerem non  
reddit .*

X. Porro , incipiendo ab occidentalibus , cum Urbs à montibus Latinis , Sabinisque septendecim circiter lapidibus absit ; proculdubio venti , qui illinc ab oriente veniunt , postquam eorumdem juga superaverint , in Romanum agrum facile , solutèque cadunt , & per planiciem felicissimè Urbem versus excurrunt .

*Ab oriente ad  
Urbem venti fa-  
ciles appellunt .*

XI. Ad hoc accedit , quod qua parte à nascientis Solis radiis aprici flatus ad Urbem pel-

*Ad orientalem  
Urbis plagam  
nullæ paludes ad-  
jacent .*

## 18 DE NATIVIS ROMANI

*Secus ad meridiem.*

Iuntur, non sunt magnæ interjectæ paludes (quemadmodum orientem hyemalem inter, & meridiem jacent Pontinæ) quare purissimus è Latinis montibus abstersus æther, non quidem acer, & immodicus, sed spatio ipso lassus, ad nos primâ potissimum luce appellitur, & incolas recreat.

*Venti Aquilonares  
Romæ salubres.*

<sup>n</sup> Ex M.S. Advoc. Theod. Amydenii, cui tit. delle Famiglie di Roma.

*Sylva à Sixto V.* utiliter excisa.

*Meridionalium ventorum labem Aquilonares abstergunt.*

<sup>o</sup> 3. aphor. 5.

XII. De ventis quoque septentrionalibus certè ratio Romani cœli salubritatem affirmare videtur, præsertim postquam Sixtus V.<sup>n</sup> nono circiter ab Urbe lapide, quâ spectat Aquilonem, excidi jussit sylvam, quæ, ut latronibus asylum præbebat, ita Boreæ, quominus Romam liberè pervaderet, ac validissimè detergeret, impedimento erat. Quo fit, ut Aquilo nostra ætate, cum vehementior flaverit, per latissimas, sibique obvias Romanæ Urbis vias devolutus, perque laterales, & obliquos flexus evolare, non excurrere, mediumque veluti libramentum ventis meridionalibus ponere videatur. Quamobrem quidquid noxii per istos inferri creditur, plerunque à septentrionalibus feliciter everritur, extergiturque. Quinimo venti Aquilonares interdum Romæ usque vigent, ut, cum hyems (quod apud nos raro contingit) algidissima sævit, eos morbos inferant, quos singillatim indicavit Hippocrates<sup>o</sup>, scilicet *horrores*, *costarum*, & *pectoris dolores*, *faucium asperitates*, *alvos duras*, & *consimiles*; quod sanè confluentium malorum genus

genus sub rigidissima hyeme vertentis anni 1709. amarè deflevimus; ut peculiari obseruatione in calce istius dissertationis ostendemus.

XIII. Venti similiter occidui omnino salubres, Favonii idcircò appellati, maximè omnium, cum vesperascit, per majorem Urbis partem facilè spirant; & quanquam incolentes Janiculi radicem (quam cæteroquin Sol oriens cum Tiberinis habitibus aspergat, minus fortè clementem reddit) iisdem priventur, eos tamen Aquilo juvare sollet; præsertim qua parte ad regionem viæ, quæ vulgo à longitudine *Longaria* dicitur, positi sunt, eo quod liberiorem Boream suâ etiam latitudine excipiat.

XIV. Illud tandem dissimulare non possum, ventos, qui ab ortu brumali ad meridiem, qui- que à meridie ad occasum inclinati, in Urbem feruntur, non vulgo solum, sed doctis etiam ad stipulantibus Viris, tanquam respectivè noxios damnari, quos inter in primis perhibetur, qui Græcis *Eurus*, Latinis *Vulturnus*, Italis verò *Sci-rocco* ab Arabica voce *Xaloque* nuncupatur. In quo sanè advertendum censeo, plerosque Italorum errare, cum omnem ventum, à meridie ad nos flantem, ac præ cæteris Austrum, vulgari hoc nomine *Scirocco* appellant.

XV. Enimverò juxta accuratam à Ludovico Septala p ad usum medicum exhibitam tabulam,

*Venti occidui iisdem salubres.*

*Venti ab ortu brumali ad meridiem insalubres; præcipue Vulturnus.*

*Errant plerique Italorum in designando Vulturno, vulgo Scirocco.*

*p In comm. lib. de aer. loc. & aquis.*

*Qui sit propriè  
Vulturnus.*

*Pontinæ paludis  
exhalationes di-  
mittuntur ad in-  
terjectos montes  
Albanos, & Tu-  
sculanos.*

Vulturnus nascitur ab ortu brumali ; & quidem Romæ Austro ipso, qui rectâ ex meridie venit, deterior esset, nisi magnam partem insalubrium exhalationum, quas ex longo Pontinarum paludum tractu legit, & rapit, interpositione Albatorum, Tusculique montium, medio quasi in itinere dimittere cogeretur ; qui tamen montes, cum partem Latii infra Romam, & versus mare minimè protegant, hinc etiam fit, ut humiles illæ regiones, quæ hoc vento liberius perflantur, ea insalubritate, si præsertim cœnosæ occurrant, affici soleant, quam huic vento diximus esse peculiarem.

*Auster, Eurono-  
tus, & Africus cur-  
infensi.*

XVI. Deinde nobis infensi quoque sunt Auster, & laterales duo venti, nempe Euronotus, atque Africus, quippe qui ab æstuosis Africæ locis venientes, nullo montis obstaculo intercipiuntur. Quinimo, cum à natu majoribus acceperimus, ingentem sylvam juxta maris litus constam, quæ olim Romanum agrum à ventis hisce meridionalibus magna ex parte tuebatur, jussu Gregorii XIII. rem frumentariam augendi causâ, excisam fuisse; propterea arbitramur, interdum tantò quidem pejori flamine hosce ventos humilibus agri locis incumbere, quanto liberiùs ab Ostiensibus, Portuensibusque paludibus, atque ex universo Latino litore inquinamenta agricolis non parum infensa, solent advehere.

Hæc

XVII. Hæc verò minuta corpora , quæ à meridionali plaga ventorum vi ad Urbem usque advolant , aliqua irritandi primùm , deinceps erodendi etiam facultate prædita esse , apertè docemur ab ipsismet ædificiis , quæ , cum inveterascunt , adversa ejusmodi ventis facie , non leves corrosionis notas lateritiis , lapideisque parietibus passim contrahunt , exhibentque . Ita arboribus quoque , ut Plinius <sup>q</sup> advertit , in meridiem spetantibus , semper ante decidunt folia .

Erodendi facultate prædita sunt minuta corpora , quæ à meridionalibus ventis asportantur .

<sup>q</sup> N. H. lib. 17.  
cap. 4.



Austrum

*Austrum lenem, ac sereno cœlo flantem, Romæ etiam plerunque utilem, ac salutarem; vebementem verò, ac turbidum esse insalubrem; semper tamen, æstate præsertim, perniciosum, cum per vicina palustria, ac cœnosa loca transierit.*

## C A P. I V.



*Auster non semper noxius.*

*Distinctio adver-tenda.*

*Lenis Auster sereno cœlo salubris est.*

UANQUAM Austrum Romanis, quemadmodum penè omnibus Europeis, incommo-dum afferre certum habuerim, nihilominus tamen, cum at-tento animo diversos, immo contrarios hujus venti effectus aliquando revolverim; jam mi-

hi visum est ( veritatem quippe unicè quæro ) cum distinctione esse procedendum. Etenim Auster vel sereno, tranquilloque cœlo lenissimus est, vel nubilo, densoque aëre furit, ac debacchatur.

II. Si primo modo flaverit, quod Romæ à verno æquinoctio ad autumnale sæpe contingit, adeo civibus non est noxius, ut sit potius sum-mopere utilis; hic siquidem ventus, quemadmo-dum

dum in frugibus, arboribusque florum eruptio-  
nem <sup>a</sup>, aut austeriorum fructuum maturitatem ci-  
tissimè promovet; ita nostris corporibus, liberiori  
etiam transpiratione, mirè blanditur. Dulce enim  
sulphur, quod à Zona torrida cum Austris de-  
fertur, leniter ingeritur, laxatque tam solidam,  
quam fluida viventium machinas constituentia.  
Unde crises in ægrotantibus per sudorem, hæmor-  
rhagiam, & potissimum per anacatharsim (quæ  
Aquilone obtinente subsistunt) ab eodem beni-  
gniter flante Austro sæpiissimè promoveri obser-  
vamus. Itaque Urbs, quo meridionalibus exci-  
piendis ventis pronior esse videtur, eò sanè, si qui-  
dem placidi, serenoque cœlo flaverint, majus ac-  
cipit emolumentum.

III. E' contrario nubilus, ac vehemens Au-  
ster, quem valdè humidum, atque æstuosum ex-  
perimus, æstate præsertim, & autumni principio,  
semper aliquid noxii afflare suevit, quod nostra,  
si quomodolibet impura inveniat fluida, cùdem  
planè facilitate solet exagitare, quâ vinum, alia-  
que mixta liquida, non satis defecata confundit,  
ac turbat. De qua sanè Austris specie scriptum  
nobis reliquit Hippocrates <sup>b</sup> *Austri auditum be- b 3. aph. 5.*  
*betant, caliginem visui offendunt, caput gra-*  
*vant, tarditatem, & languorem inducunt.* Cum  
enim hujusmodi flamina sales acres, impuro ad-  
mixtos sulphuri ad nos adducant, nil mirum,  
si hæc

<sup>a</sup> Consule Veru-  
lamium ubi su-  
pra n. 22. qui  
palmites vitium  
ab Austris parte  
erumpere, atque  
eo spectare nar-  
rat.

Ratio.

*Auster nubilus,*  
*& vehemens in-*  
*salubris est, &*  
*cur.*

si hæc, fluidis nostris sese immiscendo, ac solida penetrando, turbas excitent in utrisque.

*Eiusmodi insalubritas aeri vitium non afferit, nisi ex fordescendibus aquis, aliisque corruptis corporibus.*

IV. Sed hæc ab Austro illata mala ejusmodi non sunt, ut inde peculiarem perniciem nobis afferri, damnatumque præ aliis reddi Romanum aërem demonstrent, nisi cum alicubi turbidas aquas, vel solum cadaveribus, aliisque corruptis, veneficisque corporibus inquinatum non procul Urbe inveniant, agitentque.

*Perspicua ratio.*

V. Porro si labes, qualis vulgò reputatur, per Austrum à mediterraneo, marique proximis paludibus ad Romanos usque colles adduceretur, ea certè multò major illis Latii civitatibus inspergi deberet, quæ mare propriùs, quàm Urbs positiæ sunt, quas inter numerantur Albanum, cæteraque finitima oppida, Arx scilicet Gandulphi, Aricia, & Cynthianum; & quidem eò magis, quò Auster non à sublimibus ad ima, quemadmodum Boreas, cogendo corpora; verùm ab imis, rarefaciendo, ad sublimia feratur. Qua sanè ratione quidquid per hunc ventum à maris litore everritur, in proximiores illos colles, ad eorundem aërem inquinandum, elevaretur. Sed hujusmodi loca clementis omnino cœli esse plenissimè demonstrat magnus, qui illuc Romanorum ci-vium numerus, relaxandi animi, refocillandique corporis gratiâ, medio etiam autumno, tutissimè confluit. Modò tamen circa illa oppida nul-

læ sint aquæ palustres, quæ, cum ante nostram ætatem illic extiterint, infamem aërem iis etiam saluberrimis locis, Austro præfertim spirante, reddebat. Auster igitur, qui per paludes mari proximas, arenosumque litus transit, non maligna effluvia, ut vulgus putat, Romam usque secum asportat, sed terrestri ipso in itinere, interjectis etiam collibus, paulatim dimittit. Habent enim certam, ac determinatam delationis sphæram miasmata, quæ ex cœnōsis aquis traducuntur, ut alibi fusè demonstravimus.

Miasmata certam habent delationis sphæram.

VI. Auster, lateralesque venti præcipuam, utique perniciem ad nos advehunt, cum ex vicino palustri solo abstersam luem nihil imminutam, aut debilitatam Romano aëri immiscent. Exinde ultro fatemur, quondam, post illatas nimirum clades à Gothis, Longobardis, Saracenis, aliisque, Australes ventos non Latio solum, sed ipsi etiam Urbi magis, quam nostro ævo, noxios extitisse; scilicet quia tunc temporis multa, cum intra, tum prope mœnia uda loca patebant. Quo sanè sensu Verulamii sententia accipienda esse videtur, dum scribit: *flante Austro pestilentes morbos grassari*: quod multò prius adverterat Celsus<sup>c</sup>, cum pestilentiam ab Austro voluit excitari.

Auster, ejusque laterales venti à palustri solo labem advehunt.

VII. Verumenimvero, cum nostro ævo stagna, & paludes circa Urbem majori ex parte exic-

<sup>c</sup> Loc.cit. n.25.

<sup>d</sup> Lib.1.cap.10.

Abstergso solo nihil ferè ab iisdem ventis metuendum.

cata cernantur , longiusque semper , ob aggestam  
à Tiberi terram , litus maris promotum sit ; ideo  
Auster , etiamsi vehemens flaverit , civibus tamen  
nostris , quos nimirum sanos , cautèque viventes  
invenerit , nihil prope in universum nocere solet ;  
cæteroqui magnoperè nocitus , si quando , ob  
Magistratum incuriam , vel ipsæ cloacæ ab an-  
tiquo coeno , vel viæ à corruptis immunditiis , vel  
vineæ , atque horti , juxta Urbis muros locati , ab  
aquis , & multis , & diu per æstatem stagnantibus ,  
nequaquam vindicarentur .

VIII. Propterea mihi vel invito dissentien-  
dum est ab Alexandro Petronio , qui nonnullas  
Urbis regiones , idcirco duntaxat insalubritatis da-  
mnavit , quòd ventos meridionales facile excipiant ,  
ac foveant . Exemplum præ reliquis adducit Val-  
lem hortorum , quæ sua ætate pertinebat ab Ec-  
clesia Divi Andreæ , ( quæ ideo vulgò dicitur *delle*  
*Fratte* , quia , cum primùm excitata fuit , multæ  
ibidem hortorum sepes fuerant ) ac radice montis  
Pincii usque ad portam Flaminiam , de qua sub-  
dit : *flante per Urbem diu Libe , vel Austro ,*  
*plures ægros in his vicis , quam in plurimis Ro-*  
*mæ locis reperiri .* Cum tamen eadem regio no-  
stro ævo , novis extructis ædificiis , exiccatoque  
solo , non amplius antiquâ aëris censurâ laboreb ;  
quanquam eosdem nunc , quos olim , meridiona-  
les ventos excipiat , atque detineat . Non tamen  
inf.

e Lib. i. de Vic.  
Rom. cap. i.

Petronii senten-  
tia improbaratur.

inferior angulum radicis hujus collis, communiter *Orto di Napoli* appellatum, ubi adhuc olera seruntur, irriganturque, propter udam, cœnosamque tellurem æstate, atque autumno ab advenis, inclemenciam suspicione, non immerito vitari.

IX. Sed, ut quæ jam innuimus, enucleatiùs repetamus, & clariùs. Libes, atque Auster pestilentibus etiam morbis occasionem præbere possunt, si, per propinquam paludem transeuntes, lethiferas illinc particulas, nullis obstantibus aut sylvis, aut collibus, de una Urbis regione in alteram deferant, vel propter inductam duntaxat in cœnōsis aquis, aut corruptis quibusvis corporibus fermentationem quaquaversum diffundant. Unde Petronii tempore inclemencia aëris ibi loci non ventis, sed stagnantibus laticibus tribuenda erat; quod sanè neque ignotum, neque neglectum fuit aliquibus illius ævi Physicis; cum idemmet<sup>f</sup> fateatur: *quamplurimos Medicos no-*  
*xium aerem Vallis bortorum, non Africo, non*  
*Austro, sed aquæ de Fonte trivio illuc effusæ,*  
*ibique mox stagnanti, ac limo quamplurimo ibi-*  
*dem existenti acceptum retulisse:* cui tamen ipse sententiæ minimè adhæsit.

X. Tandem, ut novis experimentis nostram rursus confirmemus hypothesim, decem jam decursu annorum, quibus jussu, ac vigilantia San-

*Austri insalubritas solis tribuenda lethiferis paludum particulis.*

*f Loc.cit.cap.3.*

*Confirmatur ul-*  
*terius.*

*Vigilantia ss.  
D.N. CLEMEN-  
TIS XI.*

etissimi Pontificis, me quoque pro meo munere suggestente) viæ, cloacæ, fossæ, aliaque id genus loca in regionibus Urbis frequentatis, quam diligentissimè eversa, & purgata sunt; quanquam sæpe hujusmodi austriæ constitutiones pertinaciter, validèque recurrerint; tamen nec unquam, nec usquam malignas febres in Romanos cives, atque incolas, populariter inductas fuisse observavimus. Nimis quia, cum summo nunc studio incumbamus, ne alicubi prope, vel intra Urbem multitudo aquarum colligatur, & corrumpatur, morbida effluvia, quæ per Austrum ab Africa, atque ab Ostiensibus, aliisque procul Urbe positis paludibus deferuntur, ad nos tam longo itinere adeo imminuta, atque hebetata, ut nihil sint nocitura, perveniunt, nec alia corpuscula, valetudini adversa, proximè inveniunt, quæ everrant, secumque in Urbis frequentiam adducant.

XI. Illud ultro fatemur ab aestivo, diuque flante Austro, etiam citra paludum præsentiam, sporadicos morbos interdum inferri, nempe febres acutas, ac tertianas, capitis gravitates, ac vertigines; quinimo in iis, in quibus concurrit tessimus humorum apparatus cum internorum vasorum imbecillitate, atque incœpta erosione (quemadmodum in cæteris regionibus) subitaneas quoque neces induci, ut sub annis 1705. & 1706. non sine luctu vidimus, atque nostris super hoc argu-

*Austris vebemen-  
tibusdiu flantibus  
sporadici morbi  
graffantur.*

argumento & editis commentariis luculenter demonstravimus. Verum, Superis laudes, pestilentiales febres horum decursu annorum, nunquam ab Austro epidemicè grassatae sunt.

g Lib. 2. de mortib. subit. cap. 2.  
Pestilentiales  
nunquam, nisi ob  
stagnantes aquas.

XII. Contra verò, cum anno 1695. fossa Hadrianicæ arcis, & cloaca magna Civitatis Leoninæ multo cœno scaterent; statim atque per æstatem Auster flare cœpit, pestilentiales febres in incolas illius regionis defævierunt.

Recenti eventu  
confirmatur.

XIII. Itaque monendi sunt posteri, ut tam diversos, immo penè contrarios Austri effectus intra Urbem servantes, sedulò animadvertant, ne potissimum aqueductuum, fossarum, cloacarum, uno verbo, aquarum curam ullo unquam tempore negligant.

Monitum Roma-  
nis incolis, & ma-  
gistratibus incul-  
candum.

XIV. Postremò illud quoque Romanis curæ esse oportebit, ut æstivo præsertim tempore caveant, ne rustici lucro inhiantes, vel intra, vel prope Urbem, præsertim ab ortu, ac meridie ad occasum usque, comburant herbam *Kali*, vulgò *Riscoli*, cuius ex cinere vitrum conflatur; illius enim halitus acres, sulphurei, atque erodentes, flante potissimum iis ex regionibus vento, per aërem delati, atque in pulmones incolarum facile influentes, non exiguum labem afferunt. Quod cum SS. Pater providè intellexisset, legibus, pœnisque propositis, ne in posterum publicæ incolumitati ea lucri aviditas infensa esset, graviter interdixit.

Herba Kali fu-  
mus Romanis val-  
de noxius.

*Incon-*

*Inconstantiam aeris, quæ Romæ à facili contraria  
rum ventorum aditu proficiscitur, neque  
magnam esse, neque nostris incolis  
infestam, sed potius formandis  
eorundem corporibus, ani-  
misque summopere  
utilem.*

## C A P. V.



*De Romani aeris  
inconstantia que-  
runtur nonnulli.*

UANQUAM longius forsitan præcedenti capite progressi sumus, fallente nos utilitate scientiæ ventorum; ea tamen nunc prætereunda nobis minimè videtur animadversio, quam cap. 3. non excitavimus; scilicet admodum crebram esse Romæ ipsius aëris in contrarias intemperies mutationem, ut idcirco sint, qui asserant, nonnullos advenas conqueri, uno sæpe, eodemque autumni die hic omnes vigere anni tempestates. Hanc verò frequentem atmosphæræ mutationem ex iis, quæ hucusque de Romanis ventis dicta sunt, non aliunde, quam ex facillimo in Urbem flaminibus omnibus aditu pendere, quisque per seipsum cognoscere poterit.

At

II. At enimverò isthæc Romani cœli inconstantia, quam nimis exaggerat, atque in crimen trahit insalubritatis ipse Donus <sup>a</sup>, non certè magna est, ac diurna, ut improbari queat. Nam incolæ, si talis esset, eam proculdubio sine valetudinis detimento, quod abest omnino, ferre non possent.

III. Scio ab Hippocrate <sup>b</sup> illas damnari regiones, in quibus tempora magnoperè simul, & creberrimè mutantur. Sed aëris inæqualitas in Urbe lenis est, ac mitis, qualem profectò collum, & planorum genio congruere idem Cous <sup>c</sup> asserit, qui comparando Asiaticos, suapte naturâ valde timidos, molles, & bellicarum rerum planè imperitos, cum Europeis magnanimis, ac bellicosis, omnem diversarum adeò, quinimo contriarum affectionum causam refundit in earum regionum contraria cœli temperamenta. Etenim in Asia, ubi venti perpetuò ferè silent, ipsa anni tempora magnas mutationes non admittunt. Secus verò, cum in Europa propter crebrum ventorum recursum cœli tempesties frequenter mutetur, ideo fit, ut Europeorum mentes ad peregrinas opiniones jugiter excitentur, nec à variis temporum vicibus finantur quiescere.

IV. Et quidem quot, quantas, & quām incredibiles mutationes, intra naturæ tamen tolerantiam, subeant liquida, ac solida nostri corporis

<sup>a</sup> Lib. cit. pag. 106.

*Non est tanta, ac tam diurna, ut damnari queat.*

<sup>b</sup> 2. acutorum, & lib. de aer. locis, & aquis.

<sup>c</sup> Loc. cit. de aer. loc. & aqu.  
*Cur Asiatici molles, Europei vero fortes, & sapientes.*

*Ventorum diversitas firmandis corporibus utilis.*

ris propter diversos, immo successivè contrarios ventorum impetus, ac propter variam corpusculorum mixturam, quæ cum ventis defertur, iis clarè innotescit, quos non latent innumeræ planè permutationes, quæ ab appulso diversorum ventorum excitantur tam in quibusvis heterogeneis liquidis, quam in solidis membranaceis, putafidum nervis, coriaceis omnibus, & præsertim in arboribus, quæ eò altius radices in terram immittunt, & validiorem corticem, firmiusque universum fibrarum, vasculorumque genus acquirunt, quo sæpius moderatis ventis agitantur. Quod & sapienter, & appositè advertit Seneca <sup>a</sup>: *non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat; ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certius figit: fragiles sunt, quæ in depresso valle creverunt.*

V. Hæ autem commotiones longè faciliùs, quam in expositis corporibus inducuntur in sanguine, & spiritibus, quippe qui sunt liquida magis composita, vasisque, non quidem vitreis, sed pelliceis, atque undique perviis concluduntur; itemque solida magis ductilia, delicata, & mollia apud homines occurrunt, quam sint brutorum coria, aut arborum fibræ. Non est igitur dubitandum, quin, cum humana corpora lenibus aëris, ac ventorum mutationibus assueverint, nihil planè incommodi, multum verò roboris ex iisdem

<sup>a</sup> De provid.  
cap.2.

Et quare.

dem sunt deductura. Musculares enim, ac membranaceæ partes per aëris motum firmantur, validumque tonum adipiscuntur, & quæ in ea cerebri parte, ubi mentis sedes est, excitantur ideæ, imaginesque, sublimiores certè, atque excelsiores effinguntur, evectis saepe, leniterque pulsis à commoto aëre spiritibus, quam eodem, silentibus ventis, plerunque torpescente. Unde meritò Hippocrates <sup>e</sup>: *Sapientiam cerebro ab ipso aere exhiberi*, tradidit. Atque hinc planè ortum arbitror, ut exteræ nationes ipsos olim Romanos ( scilicet cum iis opportuna non deficiebat institutio ) corpore pariter, animoque validos, & propterea omnia cum ratione audentes, timori simul, atque admirationi habuerint.

*Mentis etiam perceptionibus opportuna.*

*e Lib. de morbo fac. n. 17.*

*Ab aere sapientia cerebro exhibetur ex Hippocrate.*

VI. Sed ventorum tractatione perfuncti,  
qui majori ex parte salubres Romæ  
flant, ad inquirendum qualita-  
tes urbanarum aquarum  
transeamus.



*De Aquis in genere, quarum nullas in Urbe noxias, sed plerasque omnino salubres demonstrandum proponitur.*

## C A P. VI.

*Aqua explorandæ aeris naturæ maximè conducit.*



<sup>a</sup> Apud Theat.

Chym. vol. 1.  
pag. 355. & 373.

<sup>b</sup> Vide Renatus  
des Cartes  
Meteor. cap. 4.  
ubi de iulis Æo-  
lipilis agit.

*Aer immensa ve-  
luti spongia.*


Quæ tractatio est maxima omnium earum rerum, quæ aëris præsertim explorandæ naturæ conducunt; aër enim, si non est ipsa penitus aqua, per vim ignis, & spiritus resoluta, ac rarefacta, ut Dornæus <sup>a</sup>, aliique <sup>b</sup> Chymico-

rum, ab Æolipilis admoniti existimarunt, certè se prodit infinitum penè receptaculum, atque immensa quasi spongia minutissimorum corporum, quæ à terraquo orbe perenni tum extrinseco, tum intrinseco nisu elevantur. Meritò ideo tanquam physiologicum axioma reputamus: *Ubi bona sunt aquæ, ibi bonus, ubi mala, malus itidem est aer.* Hæc namque fluida plurimum invicem juvantur, laedunturque. Cum itaque nostra ætate Urbem à lacunis, ac paludibus, veluti à foedo, sordidoque propriæ atmosphæræ inquinamento, Summorum beneficio Pontificum, vindicatam cernamus, & gratulemur, proximè de-

demonstrandum videtur, aquas, quæ vel sponte nascuntur, vel Romam advectæ suos per alveos, & canales liberè excurrunt, inter salubres recensi.

II. Facit porro, ut studiosius de Romanis aquis agamus, quoniam ipsæ ad salubritatem, aut insalubritatem locorum eò potissimum nomine conspirant, quod bibentibus prodesse, vel obesse solent. Unde Rasis <sup>c</sup> prudenter afferuit: *nihil esse, præter aeris puritatem, magis pertinens ad sanitatem, quam aquarum salubritatem*, quâ sane ratione plura memorare postea loca, quæ, cum prius fere deserta fuissent, dulcibus inductis aquis, frequentata magis, ac salubriora redita sunt.

<sup>c</sup> Lib. i. de Reg.  
Princ. cap. 2.  
*Aquarum salubritas post aeris puritatem maximè ad sanitatem pertinet.*



*De signis, quibus dulcium aquarum salubritas,  
aut insalubritas dignoscitur.*

## C A P. VII.



*Vulgaria quædam signa bonitatis aquæ incertata sunt.*

*Non semper melior est, quæ levior.*

*Plinii hallucinatio de levitate aquarum.*

ON est dubium, quin vitæ, atque incolumentis civium, & advenarum maximè interest novisse, quænam in potum adhibitæ, salubres, quænam verò insalubres in unaquaque urbe sint aquæ. Pleraque autem signa, quæ paf-  
sim in argumentum bonitatis, vel malitiæ aquarum afferuntur, incertissima sunt, & in aquas salubres, & insalubres perinde cadunt. Nam primum, quod ad levitatem attinet, nos arbitramur, leviores non semper esse meliores ; cum interdum minor aquæ gravitas à miscela corporum, aquâ leviorum, sed insalubrium, puta impuri sulphuris, aliarumque fortè particularum ad perniciem trahi possit, ut proinde iisdem ex causis noxia sit aqua, quibus fit levior; ut nos in lympha ex lacu Sabbatino deducta videmus, quæ omnium fontium, qui in Urbe sunt, levissima est, sed sine ulla dubitatione minus salubris. Plinium nihil moramur, qui propterea negaverat de

de aquis judicium ex statera fieri posse: *quod per rarum sit, ut levior sit aliqua.* Nos enim diversam gravitatem diversis in aquis, ex varia cum iisdem admixtione, ac proportione corporum ortam, juxta Archimedis præcepta, per immersam phialam intra singulas aquas, quarum gravitatem expendere cupiebamus, facile, & frequenter deprehendimus.

II. Similiter indicium illud ab Hippocrate <sup>a</sup> multis locis Medicorum animis inculcatum, levissimam nempe esse, ac propterea optimam aquam, quæ citò calet, & citò refrigeratur, non rarò fallacissimum experientiâ revincitur: ejusmodi enim latices, ut ut particulis, calori, ac frigori quoquo modo subservientibus, redundant; nonnunquam tamen principio penè benefico, unde planè noxiæ hominibus evadant, affici possunt.

III. Quod à pelluciditate, ac perspicuitate aquarum sumitur salubritatis indicium, eâdem incertitudine laborat. Nam aquæ interdum sunt aëri quam simillimæ, & tamen insalubres; tenuitatem scilicet ex motu, ac rotatione, per quam feces suas partim attenuant, partim deponunt; morbidam verò qualitatem ex intermixtis adhuc noxiis principiis deducentes. Fac enim Nucerino latici arsenicum infusum fuisse: quæ non tenuitas, quæ non perspicuitas in eodem luceret? Nulla tamen lympha magis venefica propinaretur.

Unde

<sup>a</sup> V. aph. 26. 2.  
epid. sec. 2. &  
de aer. loc. &  
aqua.

*Quæ cito calefit,  
& frigescit, non  
continuò laudan-  
da.*

*A pelluciditate  
judicium fallax.*

<sup>b</sup> De re rustica  
lib. 1. cap. 2.

<sup>c</sup> N. H. lib. 31.  
cap. 3.

*Signa enumerata  
qua ratione ad  
detegendam aquę  
bonitatem con-  
spirent.*

Unde rectè monebat Palladius <sup>b</sup>, quod *occultiorum noxam, externis in aqua ad speciem custoditis qualitatibus, tectior servare potest natura.*

IV. Non solum igitur, Plinio <sup>c</sup> auctore, propositis olim à Medicis aquarum salubrium notis fidendum non esse censemus; verùm experientiâ etiam nobis compertum est, aquarum qualitates, externis sensibus obvias, potius earundem insalubritatem, quàm salubritatem ostendere, nec quæ laudantur à Scriptoribus signa aliâ ratione ad lymphæ bonitatem detegendam conspirare, quàm quod nobis quasi lenocinentur, ut ad illarum tentandum hauustum fidentiùs accedamus, quas claras, perspicuas, inodoras, dulces, à pravis ventis protectas, minus graves, denique citò calentes, ac frigescentes observaverimus.

V. Contra verò stagnantes, pigras, cœnosas, turbidas, malè olentes, amaras, salsas, aut acidæ, statim nullo alio accidente experimento, dignoscimus, atque à mensis nostris arcemus.

*Duo sunt certissima salubrium  
aquarum argumen-*

VI. Duo autem solummodo indicia, seu rationes, modosque agnovimus, quibus aquarum salubritas certò explorari potest; longum nimirum, innoxiumque usum, & chymicam analysim, per quam, nihil exotici ipsam aquæ compositionem ingredi, planè doceamur.

*Diuturnus populi  
usus sine valetu-  
dinis detrimento.*

VII. Primus quidem majorum exemplo perulgatus est modus, qui ab usu desumitur, ut nul-

nullum certius , & quod nunquam fallit , bonitatis aquæ argumentum sit , si eam universus populus , absque ullo propriæ valetudinis incommodo , passim , ac liberè potaverit ; mirumque propterea videri poslit , vulgus , quod plerunque pessimus rerum Judex est , bonum , ac justissimum de aquarum salubritate æstimatorem produci : non enim multitudo ad fontem aliquem currit , nisi longâ experientiâ didicerit , nec majores , nec æquales suos illius usu sanitatis detimento ullo affectos fuisse . Itaque firmissimum bonitatis aquarum testimonium à fama petendum est , quam excitant homines , cum eas bibunt aquas , quibus præsertim nec pondus in stomacho , nec murmur sentiunt in hypocondriis . Hinc idem subdit Palladius <sup>a</sup> : *Si venter , aut viscera , vel latera , vel renes nullo dolore , vel inflatione vexentur . Hæc , atque his similia , si apud incolas pro majori parte constare videris , nec de aere aliquid , nec de fontibus suspiceris .*

VIII. Alter deinde explorandarum aquarum modus est ipsa spargyrica analysis , per quam unusquisque latex suas in partes resolvitur ; unde constet , ex quibus verè componitur . Porrò certò scimus , aquam simplicem , quam Philosophi elementarem appellant ( cuius fortasse usus cæteris deterior , & valetudini noxius esset ) nusquam inveniri . Etenim unaquæque

*Et Spargyrica  
analysis .*


vel

vel suâ ab origine , vel à locis , per quos transit , vel à continentibus , contingentibusque corporibus semper aliquid extranei , terrei potissimum , ac salini , rapit , sibique admiscet . Pro potu tamen salubris est ea , quæ quām minimum alchalicæ terræ , & innoxii salis imbibit . Hæc verò cognoscitur , cum aperto in vase ad ignem bulliens , vel gratum , vel saltem nullum odorem de se prodit , cum nec opaca fit , nec turbida , nec tenax ; tandem , cum postquam tota fuerit evaporata , in fundo , fundique lateribus modicum sedimentum relinquit , album , cinereum , vel etiam fuscum , modò sit ferè insipidum , & inodorum , terra scilicet bolaris , vel simplex tartarum , cui grana aliquot terrei , vel nitroſi salis permixta sint . E contrario autem , quæcunque inter bullendum malè olet , turbida , vel opaca evadit ; denique sedimentum nigrum , acre , austерum , graveolens , vel alio quovis modo sensibus ingratum , multāque copiā deponit , hanc malam , & potando infalubrem aquam reputato , quippe quæ vel nimiam terram , vel impurum sulphur , vel noxios sales , vel hæc omnia simul , citra congruam temperiem , sibi admixta fuisse significat , quæque in hominum viscera , sine magna noxa , infundi non possunt .

*Quæ in chymico  
tentamine depre-  
bendantur signa  
bonitatis, aut ma-  
litiæ aquarum.*

*Recensentur species aquarum dulcium, quæ plus minus Romæ à salubritate commendantur; & primò agitur de aquis sponte nascientibus, quæ omnium maximè laudantur.*

## C A P. V I I I.



N Urbe Roma quatuor sunt *Quatuor dulcium aquarum genera.* genera aquarum dulcium, de quibus in præsenti sermo est.

II. Primum sponte nascientium; secundum influentium per aquæductus; tertium fluviatum; postremum pluvialium. Atque hæ quidem lym-

phæ lectissimæ ferè omnes à Romanis salubriter bibuntur.

III. Quæ sponte intra Urbem scaturiunt, bifariam dividuntur; aliae enim sunt fontanæ, aliæ puteales; utræque autem naturâ suâ, tanquam optimæ, nihil habent, propter quod Romani cœli salubritas non confirmetur.

IV. Porro quatuor hic prostant ( quantum nobis innotescit) laudati fontes nascientium aquarum, quæ nec deficiunt unquam, nec turbidae evadunt: quæ tametsi paucæ videri possint,

F bo-

*Quot fontes aquarum sponte nascientium.*

bonitate tamen multis aliis, quæ scaturiunt in locis palam saluberrimis creditis, minimè cedunt; non enim nostrâ modò, sed priscâ item ætate in potum utiliter adhibebantur. Undè Frontinus <sup>a</sup> istorum fontium ( quibus fortè nostrates etiam acidulas accensuit ) memoriam ab Urbe condita *cum sanctitate cultam fuisse* refert; salubritatem namque vel ipsis ægris corporibus afferre credebantur.

<sup>a</sup> De aquæduct.  
Rom. in princ.

*Eorum salubritas  
afferitur.*

V. Ad hoc accedit non leve bonitatis aquarum argumentum, quod experientiâ compertum sit, aquas iis ex fontibus haustas, atque illico vitreis in vasis hermeticè clausas, diù maritimis etiam navigationibus, incorruptas servari.

### DE AQUA GRILLI DICTA.

VI. Primus fons ad radicem Quirinalis inter ortum hybernum, & meridiem dulci, levique manat aqua, quæ, mutuato cognomine à Palatii, ubi reconditur, possessore, vulgò appellatur *Acqua del Grillo*, cuius tantus est apud nostros ægros usus, ut multi illam in Nucerianæ locum pafsim, utiliterque substituant.

*In locum aquæ  
Nuceriana pafsim  
substituitur.*

### DE AQUA B. FELICIS.

VII. Alter est fons in clivo pariter Quirinali,

li, adversâ ad occasum fronte, ubi olim Cœnobium erat FF. Cappuccinorum, undè aqua illa appellata est *Beati Felicis*, quæ utique bonitate vix cedit priori jam memoratæ. Etenim utriusque si non una, eademque, certè non admodum diversa vena existimatur; & sane amicus noster Lucas Antonius Portius <sup>b</sup> arbitratur, utrumque fontem deduci ex ductibus aquarum ex Quirinali percolatarum.

*Non diversam à  
priori habet ori-  
ginem.*

<sup>b</sup> De milit. in-  
castr. sanit. tue-  
da parte 2. cap.  
6. pag. 135.

### DE AQUA AD RIPAM TIBERIS.

VIII. Tertius fons prostat sub specie rivuli, qui pluribus adhuc latentibus venis sua paupertate contentus fluit, exitque ad Tiberis ripam, quæ sub Janiculo Hetruriam terminat. Hinc ad æstivum Solis ortum excurrit, lapidis jactu à templo S. Spiritus in Saxia, cuius cum laude meminit laudatus aliàs Petronius <sup>c</sup>.

*E pluribus laten-  
tibus venis colli-  
gitur.*

<sup>c</sup> Lib. 2. de við.  
Roman. cap. 4.  
quem adeat, qui  
hujus aquæ cu-  
pit elogium.

### DE AQUA SANCTI DAMASI AD VATICANUM.

IX. Postremus ex Vaticano colle, sparsis olim de venis à S. Damaso <sup>d</sup> collectus, nunc intra Pontificias ædes ex Urbani VIII. qui marmoreum addidit ornamentum, munificentia fluit, cuius profectò bonitas, vel ipsis exteris sequenti

<sup>d</sup> Vide carmen  
39. S. Damasi de  
font. Vatic. cum  
notis Sarazanii.

*Quid miraris apem, quæ mel de floribus haurit,  
Si tibi mellitam gutture fundit aquam?*

*In usum Familiae  
Pontificie adhi-  
betur.*

Fons hic ad Solis ortum jugi , ac laudabili manat latice , qui Principis aulæ non sufficit modò , sed superfluit .

*Nullis aliis Ro-  
manis aquis sa-  
lubritate conce-  
dunt.*

X. Ejusmodi verò aquas aliis lymphis bonitate non cedere , quæ vel ex Tiberi , vel derivatis per aqueductus , vel defossis puteis , ac cisternis , hauriuntur , evidenter demonstrat frequen-  
tia populi , qui earundem salubritate allectus ad eas undequaque solet confluere . Neque al-  
terum ab analysi desumptum probi-  
tatis argumentum iis in fonti-  
bus desiderari , inferius  
enucleabimus .



*Putea-*

*Puteales quoque aquas in Urbe salutares esse.*

C A P. I X.



UTEALES vulgo etiam , quod iis passim absque ullo valetudinis incommodo utitur, optimas esse cognovimus. Cum enim ipsæ à Tiberi lectissimam aquam ducente , majori ex parte transcolentur ( semper enim cum ipso flumine librari solent ) nonnisi tenues, atque innoxiae esse possunt .

II. Quod autem putei Romæ putidas alicubi aquas contineant ; malum hoc acceptum referendum est non lympharum venulis , quæ purissimæ ferè in universum sunt , sed modò corporibus facilè putrescentibus , quæ in puteos ipsos præcipitata sunt ; modò nimiæ quieti earundem putealium aquarum ; nam cum minus agitantur justo crassiores evadunt ; modò tandem , ( quod frequenter accidit ) aliquorum imperitiæ Architectorum , qui puteos cavant juxta latrinas , aut cloacas , quarum sepulta lues puras aquas contemerat ; quam profectò causam idem quoque accusat in Romano victu exercitatissimus Alexander

*Innoxiae sunt.*

*Quibus ex causis  
interdum puteales aquæ damnentur.*

<sup>a</sup> Loc. cit. cap. i. der Petronius <sup>a</sup>. Sed ejusmodi putealium lympharum vitium ab hospitibus facillimè vitari potest, cum vicinorum putei, & ubique per Urbem publici, saluberrimique fontes delicate, ac molliter viventibus sese offerant.

*De aquis per aqueductus Romam advectis,  
ex quibus fons Trivii præfertur.*

### C A P. X.



Galenus Romanorum fontium aquas commendat.

<sup>b</sup> In 6. de morb. vulg. com. 4.

UOD verò attinet ad aquas, quæ huc per canales adveniunt, modò ipsæ nusquam subsistant, sed ad Tiberim continenter fluant, salutares esse tota docuit antiquitas, ac præsertim Galenus <sup>b</sup>, qui fas-sus est: *Romæ præter alias*

*multa (quæ vocat eximia) fontium elegantiam, ac multitudinem esse admirabilem, eorum nullam fœtidam aquam, aut medicatam, ac turbidam, aut asperam, crudamque effundere. Sed*

<sup>c</sup> Lib. 7. de Ther. & aquas Romæ nostro ævo superstites pluribus cap. 4.

<sup>d</sup> Cit. lib. ferè commendarunt Andreas Baccius <sup>c</sup>, & Alexander Petronius <sup>d</sup>.

## DE AQUA SALONIA, SEU TRIVII.

II. Porro has inter, quæ de Salonia vena  
uberrimè in Trivium fluit, omnium maximè ce-  
lebranda succurrit; quippe quæ usū adeo com-  
mendatur, ut præter publicos fontes, huc illuc  
per Urbem à Trivio derivatos, nulla ferè nobis-  
lum familia nunc inveniatur, cuius domus in  
Urbis planicie locata, eandem ad potus usum  
magno etiam sumptu non deducat: hæc enim  
nullo tartaro suos canales obstruit; dulcis, levis,  
facilè permeabilis, &, ut loquitur Cassiodorus <sup>e Lib.7. var.6.</sup>  
ærem serenum purissimè labens mentitur.

Eius usus fre-  
quentissimus.

DE AQUA FELICI AD DIOCLE-  
TIANI THERMAS.

III. Aqua, quam in altas Exquiliias, Quiri-  
nalem, & Cœlium montem deduxit Sixtus V. ac  
*Felicem* suo de nomine vocari jussit; licet mul-  
tùm salubritate cedat Saloniæ, coquendis tamen  
carnibus, aliisque domesticis, ruralibusque usi-  
bus est admodum opportuna. Quanquam illa,  
quæ postea magnis ex fontibus prope Diocletia-  
ni thermas per Urbem derivatur, suos, quacun-  
que fluit, tubulos, & canales progressu tempo-  
ris tartaro obducat.

In quos usus op-  
portuna.

DE

DE AQUA SABBATINA IN SUMMO  
JANICULO.

*In quos item  
Sabbatina.*

IV. Similiter aqua Trajana , seu Sabbatina, quæ tam uberi copia aliis admixta sub nomine *Aquæ Paulæ* cis Tiberim ad summum Janiculum à Paulo V. elapso proximè seculo reducta fuit, eodem cum moderamine venit laudanda . Hæc enim, quanquam & ipsa Trivio fonte ignobilior sit ( unde olim vix in alios usus , quām in Nau-machiæ , versandisque molis adhibebatur ) maximum tamen emolumentum nostrâ ætate trans-tiberinis regionibus ad civilia etiam opera præbere solet : cum interim tum innumerabiles pu-tei , tum duo juges , & saluberrimi fontes , alter ad ripam Tiberis , alter sub Vaticano colle , de quibus egimus , de-licatis ventriculis sufficient .



De

*De Aqua Tiberis in potum salubriter adhibita.*

## C A P. X I.



LUVIA deinceps Romæ est magni nominis Tiberina, quæ per sex menses in cisternis probè purgata, à nonnullis nostrâ etiam ætate, tanquam purissima, potatur salubriter. Nec ignoramus ab Urbe condita spatio annorum,

CCCCXL I. ut narrat Frontinus <sup>a</sup>, Romanos omnes latice ex Tiberi potissimum hausto contentos fuisse. Et quanquam postea, introducendo thermarum usu, auctâque exinde cloacarum illuvie, Strabone teste, utpote nimium inquinata, dismissa fuerit; sublatâ tamen thermarum frequentiâ, & aquarum ductibus dirutis, cum spatio septingentorum postea annorum ad Tiberinarum potum redditum fuerit, ut Baccius <sup>b</sup> advertit; nullus unquam è Scriptoribus, aut Medicis eas in potibus condemnavit. Quinimo legimus non solum Clementem VII. ut refert idem Baccius <sup>c</sup>, illâ usum fuisse, sed & Paulum III. <sup>d</sup> hanc omnibus urbanis aquis præposuisse; ut idcirco illam & Laurentum, & Bononiam, & Nicæam secum jusserit

*Salubriter à nonnullis potatur.*

<sup>a</sup> Loc. sup. cit.  
de aqua.duct.

<sup>b</sup> Lib. 1. de ther.  
cap.9.

<sup>c</sup> Loc. mox cit.

<sup>d</sup> Apud Petron.  
de Vict. Rom.  
lib.2. cap.5.


*Paulus III. eandem cunctis prætulit.*

G aspor-

asportari. Pontifex quidem, qui summo rerum usu, summâque prudentiâ præditus inter gravissimas Apostolici ministerii curas, longam, atque incolumem senectutem exegit. Atque inter eos, qui nunc etiam illâ passim utuntur, connumerandi sunt Patres tum Discalceati S. Theresiae Tiberim, tum Oratorii S. Philippi Nerii, quibus postremis curandis olim incumbebamus. Porro Tiberina in aqua condimenti locum obtinent tot minerales, quæ in sinum ejus confluunt,

*e Loc. sup. cit. ut rectè advertit Baccius cap. 10. pag. 18.* quo fit, ut aqua Tiberis defecata integrum seculum incorrupta servetur, quemadmodum afferuit Matthiolus, atque etiam Cardanus.

II. De aqua Crabra, quam *Marianam* appellant, scribere supersedemus, cum per loca adhuc inculta, atque inhospita plus nocens, quam utilis (præterquam versandis molis, & irrigandis hortis) tacitè ad flumen excurrat.



*De Cisternarum aquis, & cur Romæ  
non sint admodum in usu.*

## C A P. X I I.



UPEREST, ut aliquid etiam dicamus de aquis pluvialibus. Quanquam verò has Hippocrates<sup>a</sup>, modò non sint procellosæ, sed ab æthere cum tonitru æstate cadant<sup>b</sup>, horæas propterea dictas, reliquis prætulisse visus sit; cum

Sol simpliciores, minusque graves aquæ particulas sursum urgeat, ac nitroslis salibus immisceat, eâque ratione Vitruvius<sup>c</sup> pluviale aquam cæteris anteposuerit: attamen hujusmodi cisternarum latices Romæ non sunt admodum in usu, & præter PP. Jesuitas apud S. Andream in Quirinali, aliosque Cœnobitas eodem in colle hospitantes, invenies paucos, qui eos potent; cuius ratio non alia, meo quidem judicio, esse potest, quam quod magna hic lectissimorum fontium, puteorumque copia ubique suppetit, atque redundat. Accedit etiam, quod ingens, atque assiduum studium impendendum est, ut pluviales aquæ ab iis vindicentur sordibus, quæ non occurrunt duntaxat sub

<sup>a</sup> De aer. loc.  
& aqu. n. 16.

<sup>b</sup> 4. in 6. epidem.

Quandonam, &  
quaratione aquas  
pluvias cæteris  
an. cponendas cœ-  
juerit Hippocra-  
tes.

<sup>c</sup> Lib. 8. Archit.  
cap. 2.

*Cur earum usus  
apud Romanos  
infrequens.*

forma peregrinorum salium, & impuri sulphuris, sed sunt quoque ovula insectorum, & vegetabilium à tectis, terrâque, imbribus abrepta, tunc demum animanda, cum humido leniuntur. Nec sanè homines, præterquam necessitate adducti, longos labores, ac diurna studia subire consueverunt. Legendus Lucas Antonius Portius <sup>d</sup>, qui sub puteorum nomine cisternas etiam intelligit, modumque tradit, quo apud Venetos pluvia per arenam rite percolatur.

II. Sed hæc, quæ de Romanis aquis in universum diximus, experientiâ ipsâ ab omnibus tum incolis, tum advenis clarè possunt comprobari; ut illud jure plus adhuc miremur, nonnullos cœlum  
hoc vel propter insa-  
lubres aquas ca-  
lumniari.



*Analysis ad ignem facta, una cum respectiva  
gravitate Romanarum aquarum.*

## C A P. X I I I.



ED, ne desit Lectoribus nova utilitatis, aut curiositatis materia, subnectemus hic nonnulla experimenta, quæ ad singularum Urbis aquarum, tum cras, tum pondera deprehendenda tentavimus; ita enim bibentium securitati, & nimiæ quorundam diligentiaæ consultum fore speramus.

II. Verùm antequam, quæ in unoquoque latice animadversa sunt, ostendam, dicendum est, nequaquam omnia tentamina (quæ in singulis multa fuerunt) ad eandem omnino rationem, adamussim rediisse. Etenim unam, eandemque, exempli causâ, Felicem aquam non variis modò tempestatibus, sed eâdem quoque hebdomade haustam, eodemque ignis gradu iterum, & sèpius exploratam, ferè semper aliquanto diversam quantitatem, qualitatemque, sapore, & colore sedimenti deposuisse observavimus. Quod nimirum, cum residentia ipsi aquarum ele-

*Advertendum pro varietate, quæ in experimentis repetendis incidere solet.*

men-

mento non sit adnata, sed aliunde, vel ex terræ ductibus, & meatibus, vel alveis, atque etiam ab aëre, ventis, igneque admixta veniat; profectò illius vel moles, vel natura, & conditio longè diversa, pro temporum, locorum, modique experiundi discrimine, potest incurrere, quæ descriptam diversitatem efficiat; quam certè nemo in una, eademque macrocosmi aquâ, distinctis diebus haustâ, mirabitur, qui diligenter advertebit, unum, eundemque, per microcosmi vas fluentem sanguinem, etiamsi unâ, eademque horâ in plures cyathos effundatur, multâ tamen dissimilitudine plerunque variari; ita ut vix una portio, mole, pondere, colore, & consistentiâ grumi, aut quantitate, colore, & sapore serositatis, alteri penitus similis occurrat.

*Traduntur discriminis gradus, qui frequentiores deprehensi sunt.*

III. Quoniam verò infiniti propemodum, ac supervacui operis esset singulos discriminis gradus describere, ac referre, quos nostris in conatus advertimus; eas tantummodo observaciones dabimus, quæ in Romanis aquis constantiores, ac frequentiores nobis obtigerunt, quæque ad earum indolem, ac salubritatem definiendam, & confirmandam sufficiunt; tum curiosis aquarum exploratoribus non injucundas futuras esse confidimus.

IV. Ut nihil autem in analyticis hisce tentaminibus inobservatum superesset, certam aquarum

rum singularum mensuram, vitreis cucurbitis seorsim exceptam, per arenæ, ut ajunt, balneum ad eundem ignis gradum leniter commoveri potius, quam ebullire curavimus; ita enim tria præcipue explorata sunt. I. quem odorem inter evaporandum efflaret. II. an eandem perspicuitatem, ac colorem retineret. III. cuius plus, minus naturæ, & quâ proportione depositum in vitro corpus subsideret; quod sanè, cum nemo ignoret esse mixturam elementaris terræ, tartari, ac diversorum salium, & quandoque etiam sulphuris, satis putavimus, si una cum Illustrissimo Francisco Blanchino, ab honore Pontificii Cubiculi, ac diligentissimo naturæ investigatore, non lingua solùm, sed oculis, microscopio etiam armatis, tandemque variis, qua acidis, qua alchalicis salibus intimius scrutaremur. Nos enim piguit inutilis laboris, qui singulis elixiviandis nostrarum aquarum sedimentis, ut particulares sales separantur, impendi debet. Nam cum aquæ hujusmodi dulces, ac potabiles sint, non verò minerales; adeo exiguum salium molem secum ferunt, ut magnam sedimentorum copiam habere debeamus, unde modicum salis possimus elicere, quos cæteroquin non simplices, ac primordiales extrahendos, sed aggregatos, ac veluti androgynos, immo ab igne deformatos arbitramur. Incipiendo itaque ab aquis in Urbe nascentibus, exhibetur

*Tria potissimum  
per analysim a-  
quarum explora-  
ta sunt.*

## ANALYSIS

AQUÆ FONTIS, SEU RIVULI FLUENTIS  
AD RIPAM TIBERIS.*Ordo experimen-  
ti.*

V. Haustas, ac decantatas lib. xii. hujus aquæ mense Augusto inclusimus cucurbitæ, & lento igne evaporari curavimus. Vix tertia pars absque ullo odoris sensu in auras effluxerat, cum albescentem membranulam, in ejusdem superficie adglutinatam confpeximus. Hæc oleofæ quasi naturæ, postquam universum fluidum absumptum fuit, cum reliquo sedimento cucurbitæ parietibus adhæsit. Color verò aquæ prope finem evaporationis ad dilutiorem albedinem accedebat; & sapor quandam lactis suavitatem reddere videbatur. Terra autem (oleosis quippe, volatilibusque aliquot particulis implicita) illico nonnihil odoris sulphurei retinebat, olfactum leniter, nec insuaviter percellentis; sed ulteriori exiccatione penitus inodora evasit. Sedimentum, vitro adhuc hærens (hæserat autem tenaciter) referebat orbiculares lamellas tartari defecatioris: spathula verò diligenter abrasum, & microscopio subiectum cinereum massam, extensæ farinaceæ substantiæ persimilem, exhibuit. Pondus hujus tartari fuit circiter granorum xxx. qui, linguæ admotus, sensum occultæ acredinis ad amaritiem vergentis

in-

intulit, quique affusis guttulis spiritus sulphuris lenem fermentationem statim concepit, elevatis bullulis, ad unum circiter temporis minutum perdurantibus. Sed non propterea spiritus de sua aciditate quidquam remisit. Nulla interim effervescentia in alia ejusdem sedimenti parte per admixtionem olei tartari inducta est.

VI. Hæc porro tentamina nos apertè docent summam aquæ salubritatem. Nam, cum nullum ingratum odorem inter evaporandum reddat, atque alchalinis aliquot particulis, tam fixis, quam volatilibus, & quidem moderatè referta appareat; jure quodam compositionis stomacho gratissima esse debet, qui lenibus alchalicis, ac subamaris particulis gaudere solet. Neque interim ab alchalina ejus vi ulla timenda videtur digestivi in nobis acidi enervatio; quoniam experimento innotuit, spiritum sulphuris subsiden-  
*Ductum inde ar-  
gumentum salu-  
britatis.*  
tiæ hujus miscelâ nequaquam dulcescere. Denique adeo exigua est sedimenti moles, ad aquæ molem comparata, ut certò affirmare possimus, aquam istam multis vacuitatibus donari, atque idcirco alimentorum dissolutioni opportunissimam esse.

## ANALYSIS

AQUÆ FONTIS, VULGO NUNCUPATI

MARCHIONIS GRILLI.

*Ordo experimenti.*

VII. Duodecim pariter libras istius aquæ ad evaporandum in cucurbitam conjectimus, quæ primum nullum odorem exspiravit; post medium verò evaporationis, ut subalbido pulvere quasi aspergi, ita quibusdam ex nostris exiguum sulphurei halitus reddere visa est; ab igne tamen remota omni penitus odore destituebatur.

Saporibus minus fidendum.

VIII. Sedimentum reliquit plus minus granorum xxxv. quod leni acrimoniâ, sepultâ etiam, ut videbatur, amaricie, gustus organum nobis affecit. Verùm ipsis saporibus minus fidendum arbitramur, cum sæpe iidem extranei sales, quibus linguæ papillæ in variis hominibus feriuntur, diversimode affici, ac modificari valeant cum multigeneris particulis, quæ in illius organi glandulis, porisque inveniuntur; quamobrem diversa apud diversos papillarum, & pressionis, & irritationis ratio succedit: quemadmodum apud febricitantes passim observamus.

*Quid observatum  
in sedimento.*

IX. Sedimenti forma orbicularium, exiliumque lamellarum apparuit, quæ cum ægrè à vitri parietibus abraderentur, adhibito microscopio, spongiosam massam referebant salinæ simul, atque al-

alchalinæ terræ, quæ instillato spiritu sulphuris leves bullulas excitavit; & contra planè immobilis permanxit, cum tartari oleum fuisset infusum.

X. Eâdem, quâ in primo experimento probationis methodo procedentes asseverare non dubitamus, hanc etiam aquam, potui salubrem esse: etenim, cum eadem nec impuro sulphure, nec acidis, erodentibusque salibus, sed alchalino tartaro, eoque non quidem nimio, sed modico imbuta sit, fieri non potest, quin ventriculo, ac visceribus gratissima evadat.

*Argumentum salubritatis.*

### III.

#### ANALYSIS

#### AQUÆ BEATI FELICIS.

XI. Similiter totidem libræ aquæ, vulgo nuncupatae *del Beato Felice*, eidem arenæ balneo ad evaporandum admotæ, nullum principio de se odorem; postea verò suavem quendam habitatum subobscuri, grataque sulphuris promebant. Deinde quo minor lymphæ moles ab evaporatione superfuit, eo magis albo, raroque pulvere, perinde quasi tartaro volatili, extima ejusdem superficies obsideri videbatur; donec sedimentum, ferè candidum, & vitro vix adhærescens (sponte enim quassato vase concidebat) apparuit, & qui-

*Quid animadversum in evaporatione.*

dem compositum lamellis pellucidis, conspersis passim bullulis minutioribus, spumæ globos æmulantibus, nitidâque superficie præditis, non secus ac si vernice fuissent illitæ. Pondus sedimenti fuit granorum circiter xxxv. sapor verò suavis alchalinæ terræ. Cæterum lenis, brevisque in eodem fermentatio per affusionem spiritus sulphuris habita est; nullus verò spectatus motus instillato oleo tartari.

*Judicium salubritatis.*

XII. Hanc Beati Felicis aquam, fortè quis salubriorem lymphâ forore suâ, quæ ex fonte *del Grillo* dicto manat, judicabit, si nimirum advertat, hujusmodi aquam adhæsione minus tenaci, propter quam à vitro facilius abstergitur, donari: quamobrem corporis nostri vasa promptius subire poterit.

#### IV.

#### ANALYSIS.

#### AQUE E FONTE VATICANO.

*Ordo experimenti.*

XIII. Par quantitas hujus etiam aquæ igni admota, postquam magnâ parte evaporavit, olfactum affecit aliquali, ac planè insensili sulphuris odore: subsedit tandem exiccata terra subalba, & friabilis, scilicet quæ à phialæ fundo facile, ac suapte naturâ levi succussione cecidit, saporemque reddidit alchalinum suaviter attemperatum.

Pe-

Pependit in lance grana xxxiv. ejusque figura apparuit minutorum, sed irregularium globulorum, qui microscopio suppositi, videbantur constare lamellis majoribus, quibus minores laminæ, eæque pellucidæ erant impositæ, quarum nonnullæ conspersæ globulis, & striis longioribus, aliæ verò globulis destitutæ visabantur. Admixto spiritu sulphuris lenem fermentationem, nullam è contrario ab inspersione olei tartari sedimentum hoc prodidit.

XIV. Ex iis, quæ in Vaticana lympha experti sumus, ejusdem bonitas non obscurè deducitur. Pura enim, subtilis, & alchalica cum sit, stomacho jucunda, visceribusque, & sanguini accepta esse debet.

*Potando salubris  
est.*

## V.

ANALYSIS  
AQUÆ FONTIS TRIVII.

XV. Hæc lympha æquali mole ad evaprandum commisla, nullo primùm, mox suavi, dixerim, odore nares permulsit. Circa finem evaporationis ad quandam albedinem accedebat. Sedimentum, quod xxix. grana pependit, pellucidum, cum vitro adhuc hæreret, apparuit, ac diligenter observatum referebat opus phrygium, palmis veluti, & globulis elegantissimè distin-

*Quid præsetulerit in sedimento.*

ctum;

ctum; ægrè deindè abrafum, & microscopio subjectum, pristinam figuram amittere visum est, integris duntaxat permanentibus nonnullis lamellis. Sapor ejus aliquibus vix sensilis fuit, aliquibus verò occultam acredinem prætulit. Nullam fermentationem cum oleo tartari, adeo verò exiguum cum spiritu sulphuris inivit, ut, horologii ope explorata, vix ad dimidium minutum primi horarii perduraverit.

*Salubritas confirmatur.*

XVI. De hac pariter Trivia aqua nemo dubitat, quin optima ad bibendum sit, cum ea nullis malis, & omnibus bonis signis, quæ ab analysi deduci possunt, insigniatur.

## V I.

### A N A L Y S I S

#### A Q U A E A D T H E R M A S D I O C L E T I A N I .

*Ægriùs, quām  
superiores, evapo-  
ravit.*

XVII. Parilis hujus aquæ quantitas in arenæ balneo ægriùs, quām recensitarum ulla evaporabat, & majores in bullas, fortè aucto ignis gradu, intumescere observabatur: nullâ tamen sensili graveolentiâ, sed nec suaveolentiâ nares affecit. In extremo limine evaporationis colores quasi iridis in eadem spectabantur, gradatim imbuentes prismata crystallina salium contentorum in sedimento, quod fuit ponderis circiter granorum x l. speciemque exhibuit instar prismatum ob-

oblongiorum, quæ à vitro difficulter abrasa occurserunt sub microscopio multis cum grumis terreis, ipsorum prismatum filamentis in rectas lineas dispositis, atque interjectis.

XVIII. Terra hæc subobscuri coloris, obtuso quodam sensu linguam affecit, & in fermentationem adeo exilem, ac brevem cum spiritu sulphuris venit, ut ex horologii indicatione vix ad sextum secundum temporis, sive decimam partem unius minuti horarii pertigerit. Nullum planè motum excitavit infusum in ea oleum tartari.

XIX. Ejusmodi tentamina, ut aquam hanc reliquis hactenus evaporatis crassiorem, ita minus alchalinam, sed nitro-potissimum (ut prismata monent) tartaro, ac terrâ admixtis, refertam esse demonstrant. Quinimo, cum Cap. X. ostenderimus tubos, per quos aqua ista ab Exquiliis in humiles Urbis regiones decurrit, tartaro refertissimos inveniri, dubium esse non potest, quin, cum magis terrea sit, pro delicatis ventriculis minus sit laudanda.

*Sedimentum obtuso sensu linguam affecit.*

*Minus laudanda.*

## VII.

### ANALYSIS

AQUÆ FONTIS IN JANICULO, QUÆ A LACU POTISSIMUM SABBATINO, SEU BRACCHIANENSI DERIVATUR.

XX. Hanc quoque ad libras XII. calentibus  
ci-

cineribus, ut evaporaret, admotam, in bullulas pariter grandiores, cum gradus vel minimus ignis augeretur, attolli vidimus. Odore quodam molesto nares affecit, quæ sanè graveolentia instar muriæ ab ipso sedimento, quod aliquin difficulter exiccabatur, retenta est. Color ejus subfuscus, qui admotis prunis in nigrum convertebatur. Substantia verò, microscopii ope, velut opaca tartari massa cum solidis angulis apparuit; cuius saporem admodum ingratum, salsum, atque muriaticum offendimus. Sedimenti pondus fuit granorum circiter xxxix. Admixto spiritu sulphuris levis excitata est fermentatio, non quidem propter alchalias, quæ paucissimæ sunt, sed salinas partes in sedimento occurrentes. Ab oleo tartari nullus motus inductus fuit.

*Cæteris insalubrior.*

XXI. Hinc liquidum videtur, hanc ex Romanis aquis minus esse salubrem, cum ingrato quodam sulphure, salibusque terreis, ac nihil penè levigatis, referta sit. Et quanquam ob modicam sedimenti quantitatem, & admixtum sulphur levior appareat, tamen propter idem impurum sulphur cæteris insalubrior.

## VIII.

## ANALYSIS

## AQUÆ TIBERINÆ.

XXII. Aquam, ut purior esset, è medio Tiberi

Tiberi hauftam, diuturnâque sex mensium percolatione, ac morâ in cisternis PP. Oratorii S. Philosophi Nerii depuratam, ad libras xii. intra curbitam in arenæ balneo collocavimus. Hæc facile in auras abire, nec ullum pravum, sed omnino gratum odorem prodere vifa est. Circa medium evaporationis albo, ac tenuissimo quasi pulvere in superficie contegi cœpit. Sedimentum leni, salfoque amaro sapore linguam affecit; & inspectum, velut arenosa, spongiosaque massa, particulis irregularibus, aliis obscuris, aliis candidis referta, apparuit. Sub microscopio manifestavit intermixta prismata longiuscula, identidem divisa, & polygonâ figurâ prædita. Pondus residentiæ fuit granorum circiter xxxv. Maxima, & diuturna, affuso spiritu sulphuris, observata est ebullitio, quæ per quatuordecim minuta horaria in automato horologio indicata perseveravit.

XXIII. Porro facilis evaporatio, nullus inde pravus odor, residentia parva, & subamara testimonium præbent bonitatis hujus lymphæ, quippe quæ alchalicis salibus moderatè imbuta, saluberrimum sui usum pollicetur, ut experimento compertum est apud eos, qui nostro etiam ævo cā passim utuntur.

XXIV. De putealibus autem aquis neque tentandum aliquid habuimus, neque monendos Romanos incolas habemus præter hæc ipsa, quæ

*Experimentis  
ries.*

*Testimonium be-  
nitatis.*

*Idem effo de pu-  
tealibus a quis ju-  
dicium.*

de Tiberina aqua tentavimus, & monuimus; cum puteorum lymphæ ab eodem Tiberi per terræ meatus plerunque deriventur.

DE RESPECTIVA INTER SE GRAVITATE  
ROMANARUM AQUARUM.

XXV. Ut experimenta non s̄ecretò, sed pàlām fierent, advectæ sunt infra scriptæ aquæ in ædes Illustrissimi Præfulis de Augustinis, viarum Præfecti, ubi nos coram multis eruditis viris, una cum Illustrissimo Blanchino paratum ad explorandam fluidorum gravitatem instrumentum (quod est phiala aëre plena, colloque in angustissimum apicem hermeticè, ut ajunt, clausum desinente) intra singulas aquas paulatim immersimus, repetito duobus distinctis diebus periculo, & quidem sequente ordine. Scilicet

*Instrumentum ad  
aquarum gravi-  
tatem exploran-  
dam.*

DIE V. SEPTEMBERIS MDCCIX.  
PONDUS AQUÆ AD RIPAM TIBERIS.

XXVI. Pondus phialæ ita accommodatum, moderatumque fuit, ut adamussim penderet uncias quinque. Hoc verò servavit æquilibrium cum aqua fontis, seu rivuli ad ripam Tiberis, quod sanè pondus redactum in quadrantes grani (ut comparatio, & differentia diversarum aquarum

cvi-

evidentius constet) ascendit ad pondus quadratum

11520.

## PONDUS AQUÆ TIBERINÆ.

XXVII. Idem pondus unciarum quinque minuendum erat quadrante grani, ut libraretur cum aqua Tiberina pridie à flumine hausta omnium levissima

11519.

PONDUS AQUÆ BEATI FELICIS,  
ET MARCHIONIS GRILLI.

XXVIII. Idem pondus augendum erat supra uncias quinque quadrante grani, ut libraretur cum aqua B. Felicis, & cum aqua *del Grillo*, quæ inter se æquilibres sunt

11521.

## PONDUS AQUÆ FONTIS TRIVII.

XXIX. Idem augebatur dimidio grano supra uncias quinque, ut libram servaret cum aqua Fontis Trivii

11522.

## PONDUS AQUÆ AD THERMAS DIOCLETIANI.

XXX. Idem augebatur  $\frac{1}{4}$  grani supra uncias quinque, ut libraretur cum aqua ad thermas Diocletiani, vulgo *di Termini*

11523.

DIE VII. SEPTEMBRIS EJUSDEM ANNI MDCCIX.

NOVUM EXPERIMENTUM PONDERIS AQUÆ  
FONTIS TRIVII.

XXXI. Repetito experimento cum aqua  
Trivii pondus erat unciarum quinque auctum  $\frac{1}{2}$   
grani 11522.

PONDUS AQUÆ EX LACU SABBATINO.

XXXII. Idem pondus unciarum quinque mi-  
nuendum erat octava parte grani, ut libraretur  
cum aqua adducta ex lacu Sabbatino in summum  
Janiculum, quæ propterea levior est reperta, quam  
Romanorum fontium ulla 11519.  $\frac{1}{2}$

PONDUS AQUÆ AD RIPAM TIBERIS, ET AQUÆ  
S. DAMASI IN VATICANO.

XXXIII. Idem pondus unciarum quinque  
libratum cum aqua fontis ad ripam Tiberis nihil  
variatur; libratur etiam cum aqua S. Damasi, sca-  
turiente ad aream subdialem *Palatii Vaticanæ*,  
quæ propterea est ejusdem omnino ponderis cum  
aqua fontis ad ripam Tiberis 11520.

Solum

Solum Romanum simplicibus theriacalibus refer-  
tum, omniumque rerum ferax, Cœli  
salubritatem confirmat. Objecta  
refelluntur.

## C A P. X I V.



UONIAM, juxta Theophrasti <sup>a</sup> axioma, talis est aqua, qualis terra, per quam ipsa percolatur; certè, cum purissimos in Urbe latices, & nasci, & influere proximè demonstratum sit, vel hoc unico argumento salubritatem,

Romani soli evincere possemus, nisi alia succurrerent testimonia, quibus nostræ claritas hypothesis magis adhuc elucescet.

II. Porro, cum Latium, quod nos ipsi calcamus, & colimus, Strabonis etiam auctoritate omnium frugum, ac rerum sit feracissimum, necesse est proculdubio, ut regio, ubi Roma ædificata fuit, multo sulphure, saleque volatili redundet, atque idcirco copiosa in aërem emittat effluvia, quæ Romanorum intra corpora jugiter admissa, conservandæ, producendæque vitæ aptissima sint.

<sup>a</sup> De caus. plant.  
lib. 6. cap. 3.  
Talis est aqua,  
qualis terra, per  
quam percolatur.

Latii terra fera-  
cissima.

Hoc

*Simplicia theriacalia ibidem optimæ ex Galeno.*

<sup>b</sup> Cap. V. & XIV.

III. Hoc autem luculenter etiam deducitur ex simplicibus amaris, & aromaticis (theriacalis bus propterea apud Medicos appellatis) quæ præ cæteris regionibus Romanâ de terrâ ipsius Galeni testimonio nascuntur optima. Is enim peculiari libro de Antidotis<sup>b</sup>: *Et chamæpityon, Σ camedryν, Σ tħlaspin, Σ centauream, Σ hypericon, Σ polium, Σ id genus herbas alias* se Romæ vidisse narrat; atque multò plus redolentes hic ortas, quam Cretâ advectas (modò continuis imbribus obrutæ non fuerint) deprebendisse, ut absynthium, & mentam silentio præteream, quæ nusquam magis efficacia, quam Romæ inveniuntur. Adeo dubitare non licet, quin ex Romano solo particulæ, non tantum humanæ naturæ minimè infensæ, sed omnino salubres, atque etiam alexiteriæ, perpetuò in ambientem aërem eleventur.

IV. Quid? quod eadem terra, quæ tot alienis antidotis, frugibus, fructibus, atque animalibus est opportuna, domesticâ quasi ubertate salutarem hospitibus viatum suppeditat? Hæc enim, quæ ad Romanorum usum in Latio, atque ipsa in Urbe nascuntur, & pascunt, suavitate, ac salubritate, aliis, quæ sub cœlo credito clementiori, adolescunt, fortè non cedunt.

V. Enimvero, ut primùm omnium de pane dicamus, quippe qui communissimus, ac multis certè

*Vetus ex Roma- na terra saluber- rimus.*

certè solus est cibus; ubinam melior occurrit vel qualitate frumenti, vel panificio, quam Romæ? Etenim in Urbe, non solum, qui filigineus, nempe candidus, & levissimus, pro Pontificalia familia in Vaticano paratur, nobilium, & divitum ferè omnium saturandis domibus sufficit; sed etiam quisquis alius publicè coquitur, optimus est, immo vel secundarius, ac domesticus in pauperum usum, saluberrimus reputatur.

*Panis nusquam melior.*

VI. Animalium deinde carnes sapidæ habentur, ac saluberrimæ, ut sunt bovina, & vitulina, præsertim illorum vitulorum, qui lactentes vulgo à mungendis tantummodo matrum uberibus *Mongane* dicuntur, omnium ad Urbem confluentium suffragio commendatæ, Romanis pascuis præcipuam celebritatem impertiuntur. Carnes etiam generis gallinacei, & volatilium laudatissimæ. Caseus quoque magnopere à Galeno extollitur. Quinimo ova ipsa mirum in modum jucunda, &, si recentia fuerint, atque in Urbe nata (quippe quæ ex gallinis probè altis) tantum ferè nutriunt, quantum ponderant. Fructus dulces, & olera gustui grata. Unde qui Romanæ Neapoli veniunt, ultro fatentur, hæc, quanquam ibi citius, ac sæpius per annum nascuntur, Romanâ tamen ex terrâ prodeuntia, sapida magis inveniri.

*Carnes animalium optime.*

*Volatilium etiam, O gallinacea,*

*Tum ova.*

*Et fructus.*

VII. Herbarum quoque Romanarum uberta-

ta-

*¶ Lib. 2. de bello Gothor. n. 3.  
pag. 400.*

*Procopii locus insignis.*

*Vina laudatissima.*

tatem commendat locus Procopii <sup>c</sup>, feracitatemque soli confirmat, ubi obfessam à Gothis Urbem, & annonæ caritate laborantem, ab herbis victum sibi quæsisse narrat: *quales, inquit, intra mœnia suâ passim sponte nascuntur: & hæ quidem in agro Romano non hyeme, nec alio quovis tempore defunt, sed assiduò florent, ac de se germinant, & ea copia sunt, ut vel equos obfessi his alerent.*

VIII. De vinis autem superfluum planè est sermonem instituere, cum colles Albani, Aricini, Lavinii, Tusculani, Tiburtini, aliquique finiti-mi, magnam copiam selectorum, pariterque odoriferorum vinorum, quæ prisci etiam Scriptores laudibus extulerunt, in Urbem transmittant.

IX. Mirari itaque satis non possum, nonnullos nostra alimenta hebetiora, parumque nutriendia (cum leviora, & concoctu faciliora dicenda sint) putavisse. Certissimum enim est, Romæ saluberrimum, si justâ dosi sumatur, bonique succi victum omni anni tempestate à cujusvis fortis hominibus feligi posse, si velint; pisces quidem ex flumine, atque ex proximo mari; cætera verò amplâ tellure fruges, frumenta, fructiferas

*Quavis anni tempestate victus salubris abundat.* arbores, lactifera, atque ovipara animalia, quo-vis tempore, parvo etiam pretio, largiter subministrante; ut nemo dubitare possit, quin Romanam ipsam, quatenus optima, copiosaque sug-ge-

gerit alimenta, salutarem obtinuerit.

X. Verum duo argumenta Romanæ terræ bonitatem impugnare videntur, alterum petitum à diversis mineralium fodinis, quæ per Latii agrum paßim occurruunt, alterum ab experientia, quæ crebrò nos admonet, insalubria, ac lethifera esse nonnulla loca, in quibus si quis Urbanorum hominum summa æstate, vel autumno somnum capiat, citò in malignas febres incidit, & plerunque occidit.

XI. At neque mineralia nobis obsunt, neque loca iis referta infamem aërem contrahere per se possunt, nisi stagnantibus inter æstivos calores aquis fermententur, & squaleant, quo vitium, si quod terræ inest, atmosphærā inficiat. Unde quidquid vulgus mineralium venis attribuit, nos in palustres aquas, fodinarum salibus magis depravatas, ratione ad stipulante, rejicimus; cum experientiâ compertum sit, multa loca, vel intra Urbem, quæ olim propter hærentes aquas, damnati prorsus aëris reputabantur, solâ exiccatione evasisse salubria. Sed hæc, aliaque objecta fusiùs agitabimus, ubi de adventitiis <sup>d</sup> hujus cœli qualitatibus agemus.

*Duo contra salubritatem Romane telluris argumenta.*

*Alterum à fodinis mineralium.*

*Alterum à periculo dormientium in locis quibusdam Romani acri.*

*Mineralia nihil officiunt salubritati, nisi stagnantibus aquis corruptantur.*

*d Part. poster.  
hujus Dissertat.  
Cap. VII.*

*Ex florido colore Civium Romani cœli  
clementia deducitur.*

## C A P. X V.



RADUM nunc faciamus ad ea, quæ, licet ex laudatis jam in Urbe tum situ, & ventis, tum aquis, & solo proficiscuntur, ad ejusdem tamen salubritatem comprobandam suppetias ferunt. Quorum primus est Romanorum color, qui nec nimium rubicundus, Celso suspectus, nec admodum pallidus, flavus, aut terreus, qui cunctis damnatur; sed suavis, atque ad visum dulcis, quem profectò Hippocrates <sup>a</sup> inter hominum cœlores præ omnibus commendavit. Sunt enim eorum, qui Romam incolunt, ( tametsi umbratilis, ac sessilem vitam degunt, ut Moniales, & pleræque nobilium mulierum ) formæ benè coloratæ, ac floridæ, nisi quis morbus prohibeat. Quinimo adeo verum est, aspectus incolarum Urbis suaviter temperatos esse, ut si quis Romanum veniat cum oris colore parùm laudabili, sensim illum deponat, atque in suaviorem commutet.

<sup>a</sup> Lib. de aliamento n.5.

*Qui color Hippocrati maximè commendatur.*

Quan-

II. Quanquam verò inquirere in causas boni, malive hominum coloris, non sit in præsencia necessarium; utile tamen est nosse naturalem vultus tinturam humorum in corpore exuberantium certissimam notam esse; quemadmodum apertè docuit Hippocrates<sup>b</sup>. Bonus enim, dulcis, ac suavis hominum color significat tum contenta fluida optimè soluta, ac defecata, tum continentia vasa sine ullo, vel obstructionis, vel convulsionis impedimento inveniri: nimirum liberam fieri bonorum humorum à visceribus in cutim, & à cute in viscera reciprocationem, sanguinemque ad minimos cutis tubulos pertingentem, partim perspirare, partim lymphæ mixtura ita dilui, ac temperari, ut intuentium oculos oblectet gratâ lucis reflexione, quam jucundè efflorescentem colorem appellamus.

III. Secus verò nihil magis, ac prius advenas commonet, cœlum alicubi esse inclemens, quam subtumida incolarum species, quæ flavo, aut viridi colore penè exanguis occurrat, ut apud paludum, nostrique proinde litoris accolas passim evenire observamus, quibus aptè congruet vulgaratum illud Stratonici<sup>c</sup> Citharœdi dicterium in Caunios οἵνωερ φύλλων γενεὴ, τοῖν δὲ τῷ αὐδρῶν: *Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum;* aut illud ejusdem, quo Caunios exceptit molestè ferentes, atque indignantes, propriam,

*Color vultus exuberantem humor rem indicat.*

*b In limine libri de humoribus.*

*c Ex Strabone lib. 14.*

*urbem eo celebri Homeri versu tanquam insalubrem damnari, se, inquiens, nunquam ausurum, urbem insalubrem vocare, in qua mortui ambulant;* perinde quasi ex pravo Civium colore argui posset, cadavera, non homines per vias illas incedere. Atqui per semitas Urbis, nisi quis ex palude veniat, aut ex Nosocomio, plerique omnes gratâ specie jucundissimi occurrunt.

*d Lib. 18. cap 5.*

IV. Nequidquam verò Plinii <sup>a</sup> verba quis objecerit: *Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur, quoniam assueti etiam in pestilentialibus durant.* Etenim, ut ut nōnulli ex iis, qui regiones inclementis cœli habitant, bono colore frui possint, in universum tamen malo habitu semper fœdantur; atque illi potissimum formam in deteriorem commutant, qui in aërem, noxiū ex laudabili migrant; quod hic minime apud advenas contingit. Constat enim, ut supra monuimus, suavorem colorem eos in Urbe sensim acquirere, qui ex nocenti cœlo venerunt.

*Advenarum color fit Roma sua- vior.*

*Ex Romanorum ingenio, & prudentiâ  
Urbis salubritas afferitur.*

## C A P. X V I.



ED à suavi Romanorum Ci-  
vium habitu ad sublimem ,  
temperatamque in iisdem  
mentis aciem transeamus .  
Ad hanc vero quantum ipsa  
aëris salubritas conducat, ne-  
mo melius assequetur , quām  
qui probè noverit , multige-  
nas particulas ex atmosphærâ secretas , tum per  
pulmones obliquè cum sanguine , tum per cranii  
meatus rectâ in cerebrum , robur , & materiam  
tam pro corporis , quām pro animorum motibus  
subministraturas ascendere . Unde in aëre crassfo,  
& cœnoso nonnisi ingenia tarda , retusa , atque  
hebetiora ; in subtilissimo è contrario , ac fervi-  
do , nimium acria , prompta , & sæpius invere-  
cunda ; in temperato denique , salubri , ac puro ,  
temperata pariter , præclara , ac præstantissima na-  
scuntur ; juxtaque cœlorum discrimina multæ quo-  
que tum mentis , tum morum varietates ( si ipsa  
non defuerit educatio ) adolescunt . Rectissimè id-  
circo scripsit Hippocrates <sup>a</sup> : *sapientiam cerebro,* <sup>a De morbo sa-</sup>  
<sup>cro n. 17.</sup>  
*si sa-*



*si sanum fuerit, exhibet aer.* Quod satis ostendit, aërem non modò ingenia, quæ peperit, sed quæ diù etiam complexus est, atque educavit, secundum propriam temperiem erigere, vel flectere, acuere, vel retundere, uno verbo, componere, & conformare.

*Romanorum ingenia prudentiae conjuncta.*

II. At verò, magnam esse Romanorum ingeniorum vim, cum prudentia, quod non passim invenitur, conjunctam, res planè est non in opinione dubia, sed ante oculos totius antiquitatis, & in præsentia cunctarum gentium exposita: ita ut pudeat, nostram ( quam satis cognoscimus, & ultro fatemur ) tantam esse non rerum modò, sed verborum etiam inopiam, ut tali patria planè arguamur indigni.

*Quantum ingenio præsiterint Romani.*

III. Profectò nulla ex omni historia civitas reperitur, quæ dexteriora ingenia ad humanarum, & civilium rerum peritiam, atque usum produxerit, quàm Roma. Unde Cicero <sup>b</sup> præclarè lib. 1. non minus, quàm verè scriptum reliquit, *Romanos omnia aut invenisse per se sapientius, quàm Græcos, aut accepta ab illis fecisse meliora.* Unâ enim ex Urbe tot, tantique singulis in æstatibus prodierunt, pluribus simul doctrinis, atque exercitationibus pares; quippe qui & rem militarem, civilemque, & jurisprudentiam, & dicendi artem, & omnigenam philosophiam ad rem usque rusticam complectentur; qualis profectò & Scipio Afri-

*Vetusioris memoriae Romani præclarissimi.*

Africanus fuit, & M. Cato, & L. Crassus, & M. Cicero, & M. Varro, & Servius Sulpicius, & Q. Mucius, & Julius Cæsar, & Titus Lucretius, & Cornelius Celsus; ne Principes enumerem sequentium temporum, qui ad summam Imperatoriae artis scientiam omnes humaniores literas, ac liberales artes, & juris insuper studium cum totius orbis admiratione adjunxerunt. Romanorum insuper ingenia ad regendos populos (quæ ars artium dicitur) maximè idonea perpetuò habita sunt. Quo nomine supra cæteras orbis nationes à Poëtarum Latinorum Principe Virgilio <sup>c c</sup> Aeneid. lib.6. extolluntur celebratissimis illis versibus:

*Excudent alii spirantia mollius æra, (tus:  
Credo equidem, vivos ducent de marmore vul-  
Orabunt causas melius, cœlique meatus  
Describent radio, & surgentia sidera dicent.  
Tu regere imperio populos, Romane, memento:  
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,  
Parcere subiectis, & debellare superbos.*

Neque adeo effectam hanc esse tellurem quis opinetur, ut non proximè dederit, ac, nisi cultus subtrahatur, in posterum non promittat Viros eximios, atque egregios, veterem Romani nominis laudem, novis illustrium operum exemplis instauraturos. Cum duobus propè ab hinc secu-

*Etiā recentiores.*

seculis Columnenses dederit, & Ursinos, aliosque tum militari scientiā, tum rerum civilium peritiā florentissimos. Ac si rem literariam sacram, & profanam recentiorum temporum attingamus, quid Valla in humanis studiis non promovit, atque perfecit, egitque, ut posteritas omnis proficeret? Quid in sacris literis, & Ecclesiastica antiquitate illustranda non præstitit Annalium parens Eminentissimus Baronius, alibi quidem natus, sed Romæ à pueritia liberalibus disciplinis institutus; quem ducem habuere qui deinde ejusmodi in rebus laudem sibi pepererunt? Meritò propterea scriptum est apud eundem Hippocratem<sup>d</sup>: *ut plurimum formas hominum, et mores, regionis naturae compares esse.*

<sup>d</sup> De aer. loc. &  
aquis n. 57.

*SS. D. N. CLEMENTIS XI.  
laudes.*

IV. Argumentum hujuscē rei in CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, & Principe Optimo luculentissimum habemus. Sed vetat eximia animi ejus moderatio, quo minus virtutes egregias percenseamus, quibus illum Romani cœli temperies, educatio, & disciplina ad totius Ecclesiæ felicitatem, & ævi hujus ornementum eduxit, & informavit. Deo nimirum præclaræ indolis, & naturæ, cuius ipse Auctor est, rudimentis obsecundante, ac veluti jactis seminibus beneficiorum, gratiæque ubertate feracitatem, & incrementa largiente.

*Ver-*

*Vernaculos morbos nulos Romæ omnibus Civium ordinibus communes inveniri.*

## C A P. X V I I.



Bsoluto sermone de mirabili Romanorum ingeniorum temperie, proximum est explicare, nulos Romæ morbos omnibus Civium ordinibus esse communes, quam obrem vernaculi dici possint; cum re vera vernaculi non

*Morbi quibus-dam regionibus familiares non dicendi vernacu-li.*

sunt alii, quām familiares multis in una regione viventibus morbi ob aëris, vel aquæ vitium ei regioni familiare, ut ex Hippocratis sententia Galenus <sup>a</sup> asseruit.

II. Et primūm continuæ febres, quas cum catalepsi, seu lethargiæ specie olim Asclepiades <sup>b</sup> frequenter Romæ vidit, non sunt hīc morbi vernaculi, sed aliquando, aut sporadici ex particularibus nempe Incolarum erroribus orti, aut epidemici vagantur, sub censu scilicet febrium castris, & malignarum, quæ tunc præsertim divexant, cum aquarum cura in Urbe neglecta palustre alicubi solum ante æstatem induxerit. Quare Marsilius Cagnatus <sup>c</sup>, qui diu medicinam

<sup>a</sup> In lib. i. epid. comm. i. in proœm.

<sup>b</sup> Apud Cœlium Aurelian. 2. acut.

*Febres nonnullæ vulgares inter-dum Romæ, non vero vernaculae.*  
<sup>c</sup> In com. de fa-lub. Roman.aer. pag.37.

in Urbe fecit, cum febres, cujusmodi ab Asclepiade descriptæ sunt, sæpe observasset: *nec omni, inquit, tempore, nec singulis annis apparent, uti morbi vernaculi solent*, quos Græci εὐχωρίς, & ἐπιχωρίους vocant, & ἐνδημίς, qui vulgares dicuntur ἐπιδημίοι νόσοι, vel ἐπιδημικά. Itaque Asclepiades, febrem hanc vulgarem quidem, sed non vernacula fuisse indicavit, quæ sanè nullo non tempore infestare debuisset.

*Species quadam  
semitertianæ, eti  
familiaris, cur  
non sit appellan  
da vernacula.*

<sup>d</sup> Com. 2. in  
morb. pop. & de  
morb. tempor.  
cap. 8.  
<sup>e</sup> Lib. 4. cap. 1.

III. Præterea à numero vernaculorum morborum speciem illam eximo semitertianæ, quam perperam tertianam continuam per subingressum nostrates Medici interdum appellant; hæc enim, quanquam Romæ familiarissima Galeno<sup>a</sup>, ac Petronio<sup>b</sup> vifa fuerit, atque nobis etiam non raro observata, quotiescumque scilicet australes, atque humidæ constitutiones sub æstivo præsertim foliatio repetunt; minimè tamen vernaculi morbi nomine est consignanda, cum non vitio nativo, sed adventitio Romani aëris, atque apud illos propterea contingat, qui vel palustria loca inhabitant, vel in vicu, aliisque rebus nonnaturalibus parum sunt continentes. Quod quidem febris genus ubique occurrere aptissimè ostendunt cujusvis nationis Practici, qui suis in libris de ea fusissimè tractant.

<sup>f</sup> Lib. 4. de vic.  
Rom. cap. 1, &  
seq.

IV. Quanquam verò Alexander Petronius<sup>f</sup> tres morbos, tanquam Romæ vernaculos, nume-  
rare

rare videatur, exuberantiam nempe succorum in capite, quam *capiplenum*, barbarè quidem, sed propriè ad rem ficto nomine, appellat; ventris cruditatem, quam expletionem dicit; & celerem, ac præter occasionem recurrentem virium languorem; tamen experientiam potius, & rationem in consilium adhibere nos decet, quam viri, etsi in arte peritissimi, auctoritatem. Nobis enim, qui ab ipsa adolescentia publicam Romæ artem exercimus, omni sanè in re, sed in explorandis communiter vagantibus morbis, non aliorum testimonio, sed propriis oculis credere datum est, quibus deprehendimus, recensita tria morborum genera nostris quidem incolis interdum, ac seorsum accidere; sed omnibus eorundem ordinibus non esse pariter, æqualiterque familiaria, ac proinde vernacula suapte naturâ minimè appellanda. Etenim Romæ degentibus non unus idemque vi-  
tæ modus est, sed varius, ac multiplex, immo sæpe aliis alii contrarius. Plerique enim corporis exercitationibus addicti, tantùm laborando consumunt, quantùm ingerunt comedendo; qui sanè, cum sint penè omnes opifices rustici, servi, bajuli, ac rhedarii, numero non sunt certè minores dimidiâ parte totius populi. Hi verò nullo capiplenio, nullâ expletione, præterquam cum dubia surgunt ex cœna (quod omnibus commune est, etiam montanarum civitatum habita-

*Quos morbos Ro-  
mæ vernaculos  
putaverit Petro-  
nius.*

*Sed fallitur, &  
quare.*

*Qui sunt ab illis  
morbis immunes.*

toribus) nullâ denique virium imbecillitate laborant; quin potius robustissimos, validissimos, ac summoperè promptos, atque audaces, occasione oblatâ, se exhibent. Quod sanè genus hominum legiones olim dedit orbis domitrices.

V. Inter nobiles autem, ac divites multi numerantur, qui nullo propemodum, cum adoleverint, exercitationum genere utentes, dies per-

*Qui contra iis-  
dem passim con-  
ficiuntur.*

mutant cum noctibus; nam, cum primâ luce surgere deberent, tunc quidem decumbunt, majorem noctis partem ludis, & comedationibus insumentes. Otium verò, & satietas bonæ valetudini contraria sunt, ut propterea scripsérat Hippocrates <sup>g</sup>: *Homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret.* Exinde fit, ut iidem recensitis tribus malis plerunque sint obnoxii. Cum enim plus ingerant, & potissimum carnium, quam concoquere, solvere, ac dissipare desidiâ possint, ideo cruditatibus, quæ hypochondriacæ affectionis maxima scaturigo sunt, turpiter detinentur; mox etiam capitis gravitate, cum venter capiti, & caput ventri suas invicem affectiones communicent; denique virium languore, non propter succorum inopiam, sed ob inductam ab illorum acredine irritationem, atque à multitudine oppletionem, non raro corripiuntur. Sed horum numerus vix trigesimam civium partem explet. Atque hujusmodi ægritudines non tam Romani aëris, quam

*g 1. de Diæta  
n.2.*

vitæ

vitæ generis, quod sibi elegerunt, dicendæ sunt,  
ut proinde vernaculæ appellari non mereantur.

VI. Ad hanc etiam hominum classem proximè accedit Aulicorum ordo, qui nec corpore semper moventur, nec animo unquam quiescunt, alternis nempe timoris, speique pathematibus jactati, atque agitati: vigilant enim, cum dormire, stant, aut ambulant, cum sedere, aut decumbere conduceret. Idcircò hi quoque nunc lassitudine, nunc expletione, plerunque hypochondriacis passionibus, ac proinde curarum, atque suscepitæ vitæ, non certè aëris vitio, capi plenio detinentur.

VII. Vernaculi igitur morbi nulli Romæ sunt, nisi si quis vernaculos appelleat, quos cives, non quidem cœli vitio, sed crapulâ, desidiâ, studiis, curisque sibimetipsis solent comparare. Supereft itaque, ut benignitatem Romani aëris nullis vernaculis civium morbis labefactari agnoscamus; atque omnibus illis salubritatis argumentis instructam, quibus cœli cujuscunque clementiam constare docuit Palladius<sup>b</sup>, nempè: *cum habitatoribus color sanus sit, capit is firma sinceritas, inoffensum lumen oculorum, purus auditus, faucesque commeatum liquidæ vocis exerceant.*

*Cur etiam Aulici.*

*Qui morbi ci-  
vium crapula gi-  
gnuntur, non sunt  
vernaculi.*

<sup>b</sup> Lib. 1. de re rustica tit. 3.

*Romanorum longævitas salubritatis  
aeris testimonium.*

C A P . X V I I I .

<sup>a</sup> Lib. de Flat.  
n.6.

*Mortalibus vitæ,  
ægrotis morborum  
aer potissimum  
auditor est.*



Um ex Hippocrate <sup>a</sup> mortali-  
bus vitæ, ægrotis verò mor-  
borum aer potissimum sit au-  
dior, profecto nullum majus  
erit, ac certius bonitatis aëris  
argumentum, quām si ali-  
cubi homines infrequentius  
ægrotaverint, & diutius vi-

xerint. Igitur, cum capite præcedenti Roma-  
num aërem à vernaculis morbis vindicaverimus,  
nunc ad Urbis salubritatem probandam maximè  
faciet ostendere, multos hīc esse longævos. Porro  
nihil Romæ nostrâ ætate frequentius occurrit,  
quām cives, non quidem somniculosos, & igna-  
vos, sed firmos, & operosos ad summam sene-  
ctutem feliciter pervenire; ut ratione simul, &  
experimento semper uberiùs constet, Romanum  
cœlum naturâ suâ non modò innoxium esse, sed  
etiam saluberrimum. Hæc autem res, cum omnium  
oculis sit exposita, atque ab aliis pertractata, eam  
paucis, sed ordine percurremus.

II. Porro nullus incolarum ordo hīc reperi-  
tur,

tur, in quo plures senio confecti non occurrant. Atque, ut ab ipso Principe initium, & auspicium ducamus, Pontifices nonnisi exactâ jam ætate, diuturnoque christianarum, ac publicarum rerum usu, atque exercitatione subacti, neque idcirco imbecilles, creduli, aut oblivious, sed corpore, animoque validi creari solent. Nam singulare illud prorsus in nostra tempora incidit, quod Sanctissimo Pontifici CLEMENTI XI. cum ætatis annum quinquagesimum primum vix excessisset, certantibus Cardinalium studiis, quamvis mirâ constantiâ reluctant, delatus fuerit Apostolicus Principatus. Quod nimirum diuturnis experimentis, arduisque probata negotiis animi virtus suffragium senectutis antevertisset.

III. Deinde ex Purpuratorum Senatu tertia penè pars, vel prope, vel supra octogesimum, immo paulò infra nonagesimum annum constituta, nondum ætatis daimna sentit. Nam prudentissimi hi, atque optimi Patres in publica, privataque munia ita veniunt, ut sententiam validissimo mentis robore, & memoriâ, quod impensius miremur, nunquam hærente, passim dicere consueverint. Immo verò Cardinalem Henricum Arquianum de la Grance, jam centenario majorem, ipsi non sine admiratione sæpiissimè vidimus, & facile, & alacriter generosum, jubamque quatientem equum concendere.

*Ex omnibus ordinibus longævi plures Romæ vi-suntur.*

*Pontifices corpo-re, animoque va-lidi, licet annis graves.*

*SS. PP. CLE-MENS XI. meritis ætatem pra-veritit.*

*Ex Cardinalibus tertia ferè pars ultra octogesimū annum provecta summis negotiis incumbit.*

Ad

*Item ex Praesuli-  
bus plurimi.*

IV. Ad Praefules quod attinet, profectò bel-  
nè longum, si vacaret, illorum numerum recen-  
sere possemus, qui, licet decrepiti, nondum ta-  
men tristes apparent, nec ulla proiectæ ætatis  
animo, vel corpore sentiunt injurias. Sed paucos  
afferam, ex quibus de cæteris judicium esto; pri-  
mùm Archiepiscopum Bottinum, propè nona-  
genarium, & semiparalyti detentum, qui acuta  
ex febri; alterum hoc natu majorem Bernardi-  
num Casalium, Praeceptorem Sancti Spiritus, at-  
que inter Canonicos Vaticanæ Basilicæ seniorem,  
qui ex epidemico catarrho, hoc eodem, quo scri-  
bimus anno 1709. prosperè, ac præter omnium  
spem evaserunt. Adeo nimirum sub nostro cœlo  
vigor in senibus valet, ut sæpe cum morte lu-  
centur, & vincant. His accedit tertius poste-  
riori coævus, & senior pariter Basilicæ Latera-  
nensis Canonicus Carduccius, qui nondum omni-  
bus Ecclesiæ officiis se penitus abdicavit. Nec  
silendum de Scriptore magni nominis, mihiique  
amicitiâ conjunctissimo Joanne Dominico Rai-  
naldo, qui licet octogenario major, suis tamen  
singulis recurrentibus hebdomadibus Vaticano  
choro, cui, utpote Canonicus, est addictus,  
summâ non minus pietate, quam diligentia præ-  
fens inservit.

*Ingens numerus  
senum in Cœno-  
biis.*

V. Præterea nostra Religiosorum, Monia-  
liumque Cœnobia plena sunt iis, qui senectute  
con-

confecti, miram in sermone gravitatem, atque in agendo prudentiam præstant, quorum in numero primas tenent Reverendissimus P. F. Antoninus Cloche, Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, qui, octogenario major, tot inter curas eâ mente hactenus constat, quâ Virum sapientem decet, eâque corporis valetudine fruitur, quâ sæpe juvenes carent; & vel maximè Reverendissimus P. F. Bernardinus Magister Sacri Palatii Apostolici, qui, quanquam nonagenarius, frequenter tamen coram Summo Pontifice, plenoque Cardinalium, ac Præfulum cœtu, stans, & memoriter longa suffragia gravibus super rebus mirabiliter pronunciat. P. etiam Savinus Presbyter Societatis Jesu, facundus Orator, & grandiloquus, octoginta licet annos natus, ex tempore feliciter differit, & singulis festis diebus magnâ populi frequentiâ pro concione sacram Scripturam interpretatur. Reverendissimus denique P. F. Philippus Maria Oliverius Minorita Conventualis, octogenario major, vegetâ adhuc, ac vivida senectute, qui triginta, & amplius ab hinc annis Sanctissimo nostro Pontifici à confessionibus fuit, easdem audire pergit.

VI. Inter Oblatas itidem Turris Speculorum paucos ante annos vivebat hilaris, & vegeta virgo, nomine Benedicta, de præclara Cinciorum familia, quæ suâ ætate unum integrè expleverat se-

culum, duo verò tetigerat; nata siquidem in fine seculi xvi. diem suum obiit priori circiter lustro vertentis xviii. Nec singulis Urbis Monasteriis desunt annosæ Sanctimoniales, quæ cæteris tam puellarem, quam firmorem ætatem agentibus præsunt, quæque cum ad sacra, tum ad œconomica officia nec tremulæ, nec deliræ passim accedunt.

*In Hospitio pauperum invalidorum.*

VII. Hospitium pariter invalidorum senibus utriusque sexus refertum est; ibique non sine publicæ charitatis commendatione videoas, tam morbis, quam ætate confectos, claudos, ac decurta-  
tos liberè superstites artus movere, & imperata-  
impigrè facere; immo admireris seniores quo-  
dam lumine captos, qui alias juniores per dome-  
sticos lares sine lapsus, aut offendionis ullius pe-  
riculo ducunt.

*Privatis passim in familiis.*

VIII. Denique raræ sunt nobilium, divitum, doctorum, artificumque domus, quæ avis, pro-  
avisque non regantur. Parentem ipse natus sum,  
qui, quanquam lithiasis doloribus tortus, mente  
tamen semper constanti præditus, nonaginta vixit  
annos. Antonius item Placentius celeberrimus  
in Urbe Medicus nonagenario proximus è vivis  
paucos ante menses excessit, diutius facilè vi-  
turus, si minorem spem suis in hæredibus posuisset.  
Celeberrimi quoque Pictores Carolus Maratta,  
octoginta sex annorum, & Jo: Maria Morandius

nonagenarius, adhuc pingunt æternitati.

IX. Quid, quod in ipso hebræorum ergastulo, infelici alioquin prope Tiberim loco posito, miseros illos cernimus fœdâ etiam vivacitate confenescere?

X. Quapropter si Pio II. Pontifici Maximo in commentariis, quæ vulgò illi adscribuntur, cum de trium eloquentissimorum virorum, scilicet Aurispæ, Poggii, & Jannotii, suo ævo defunctorum obitu, ageret, dicere licuit: *Horum nemo de naturæ lege conqueri potuit: septuagesimum cuncti annum excessere, & sortem vicere communem: injurius est, qui plus sibi deberi censet: potiori jure nobis fas esse arbitramur afferere, neminem, sive indigenam, sive advenam de Romani cœli naturâ conqueri posse, sub quo tam multi non septuagesimum modò excedunt annum, verùm etiam ad octagesimum, & nonagesimum felici, vegetaque senectute perveniunt.*

*Etiam in hebræorum ergastulo.*



*In Urbe, quemadmodum magnis omnibus in civitatibus, plerosque adhuc juvenes, multos etiam post sexagesimum annum, potius vitæ nondum mutatæ, quam climacterici anni culpâ decedere.*

## C A P. X I X.



UOD autem Romæ nostro etiam ævo plerique ante senium, immo verò vel in ipso ætatis flore decedant; hoc quidem non Urbi peculiare est, sed saluberrimis, magnisque omnibus civitatibus communne; nec aëris vitio tribuendum,

sed potissimum civium intemperantiæ, luxui, vigiliis, rixis, animi pathematibus, & comedationibus, quæ, ubi plus divitiarum regnat, ibi magis affluunt, indeque minus hominum vitæ parcunt. Idecirco fertur apud priscos

*Cur longævi ex antiquis Romanis pauci.*

<sup>a</sup> Antiq. inscrip.  
cap. 8. pag. 560.

multò rariores extitisse senes, quam sint apud nos; quod probè advertit eruditissimus Romanæ Antiquitatis Scriptor Raphael Fabrettus <sup>a</sup>, qui quæstionem excitat, cur in veteri Roma (quantum ex inscriptionibus colligere est) rari admodum fuerint illi, qui longam senectutem expleverint?

Non

Non enim dubito , quin causæ ( quas prudens Auctor eo loco dissimulat ) per id temporis fuerint, non tam frequentes bellorum strages , quām solutiores in pace , & luxuriosi mores, qui vitam ante metam solent hominibus adimere . Unde meritò vagatur adagium : *plures occidit gula,*  
*quām gladius.*

II. Atque illud quoque à nobis observatum est , scilicet viros optimos , qui ad 60. annum feliciter pervenerunt , non raro intra spatum trium sequentium annorum ( potius non mutatae vitæ , quām climaṭerici anni culpâ ) magnis cum ægritudinibus luctari , tandemque mortem subire; quoniam laudabilibus , nimiumque intensis exercitationibus , puta pomeridianis , atque ad multam noctem productis studiis , necnon frequenti usu noxiorum ciborum , aliisque operibus , quibus in primo senio corpus , animumque impunè adhuc macerabant , temperare in secundo nesciverunt . Natura namque terminos habet suæ resistentiæ , quos , ut ipsa præterire non sinit , ita vir prudens prænoscere debet , ut sibi provideat . Nec porrò dubito , quin hujusmodi virtutibus ductæ exercitationes , senibus importunæ sint , & vitiis finitimæ . Sunt enim quædam virtutum , vitiorumque confinia , propter quæ sæpe , ut pro avaro parcum , pro maledico liberum , ita pro cœbroso gravem , fortemque virum vulgus appellat.

*Cur proximis post sexagesimum annis frequentius obeant senes.*

*Climactericus annus perperam accusatur.*

<sup>b</sup> N.Hist. lib.7. cap.50. lat . Non immeritò proinde scripsit Plinius <sup>b</sup> : *atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori*: quo sanè morbo ipse Plinius moniti sui immemor, interiit . Hunc locum Ramazzinus <sup>c</sup> noster jure in eos torquet, qui per sapientiam morbos contrahunt, indeque præproperè ad senectutem perveniant . Usque adeo verum est, tum graves, ancipitesque animi curas, tum vel maximè incontinentiam humanum genus ocyùs ad senectutem, immo etiam ad exitium trahere: atque ideo raro valde senem, qui sibi non fuerit optimus Medicus, & raro pariter intemperantem, qui senescat, inveniemus. Oportet enim vitia, eorumque fœda ministeria in hominibus diu supervicturis, tanquam senectutis impedimenta, præmoriuntur, sponteque desinant nostræ voluptates, ne ante senium ipsi vivere desinamus . Atque hinc factum est, ut Codronchius <sup>d</sup> quanquam climaṭericorum annorum assertor acerrimus, non dubitaverit, quin vita auxilio artis Medicæ propagari, & pericula climaṭericorum annorum visitari possint.

<sup>d</sup> In com. de ann. climaṭ. par. 2. in universum.

III. Sed quoniam nativas Romani cœli qualitates uberiùs fortè, quàm necesse erat, exposuimus; ideo posterior Dissertationis pars, quantum argumenti copia patietur, breviùs adventicias concipiet.

95

# DISSERTATIONIS PARS POSTERIOR

## De Adventitiis Romani Cœli Qualitatibus.

¶¶¶¶¶



**A**NTIVAM cœli hujus salubritatem interdum labefactari, atque inde communes, seu epidemicos morbos proficiisci, tum illi norunt, & fatentur, qui medicinam in Urbe diu exercuerint, tum quotquot etiam Romanorum temporum monumenta versaverint. Etenim apud Livium, Galenum, Alexandrum Petronium, Cagnatum, Donum, aliasque præclarissimos Romanarum rerum, & constitutionum Scriptores, abundè constat, populares ægritudines per intervalla, in cives longè, latèque desævisse, quarum sanè causas singillatim ex cunctis ali-

*Epidemici morbi  
Romæ interdum  
graſſati ſunt.*

alimentorum, potionumque vitiis in  
præsenti deducere supercedemus, ne  
pondere infiniti prope modum, ac for-  
tasse inutilis operis Lector gravari se ju-  
re quæratur.

*Duplex causa, adventitiæ labis.*  
*I. Noxia stagnan-*  
*tum aquarum effluvia.*

*II. Aquilonaris intempories, su-*  
*bita, & vehe-*  
*mens.*

II. Nobis itaque visi sumus posteri-  
tati erudiendæ, & Romanæ salubritati  
asserendæ satisfacturi, si duarum, quæ  
ad epidemicos præcipue morbos perti-  
nent, *Adventitarum Qualitatum tra-*  
*stationem instituerimus, quarum altera*  
*est vitium noxiorum effluviorum, quæ*  
*ex inductis prope, vel intra Urbem Ro-*  
*mam, stagnis, paludibus, coenosisque lo-*  
*cis, obstetricante præsertim per æstatem*  
*Astro, egrediuntur; altera verò est*  
*Aquilonaris, nimiumque rigida intem-*  
*peries, repente invadens, ac præter mo-*  
*rem, hyeme potissimum, aut vere perti-*  
*naciter durans, cui postmodum Austra-*  
*les venti è vestigio succedant: illinc enim*  
*oriuntur febres plerunque castrenses;*  
*hinc rheumata, acutæque febres, cum*  
*faucium præsertim, pectorisque inflam-*  
*mationibus. A palustri igitur vitio in-*  
*cipiamus.*

*Osten-*

Ostenditur, adventitiam labem ex aquis stagnanti-  
bus Romano cœlo in infantia eque, ac matu-  
ritate Imperii fuisse familiarem, sum-  
mumque propterea studium purgandis  
cloacis priscos adhibuisse.

## C A P. I.



UBVEREOR, ne Romanarum rerum amatoribus ingrata accidat oratio nostra, quâ probandum suscipimus, cœlum Romanum adventitiâ stagnantium aquarum labe variis olim, per ipsam scilicet Reipublicæ infantiam, atque adolescentiam, insalubritatis vicissitudinibus obnoxium fuisse. Cum enim à Scriptoribus accepterint, Romam totius fere orbis epitomen, atque hospitium extitisse, capiendaque infinitæ propemodum civium, advenarumque multitudini vix immensa ejusdem tecta suffecisse, molestè fortasse dicentem audient, Urbem, ejusque agrum, tunc etiam adventitiâ cœli inclemenciâ laboravisse, si vel populorum incuria, vel pertinaci locorum ingenio palustribus aquis fuerit inquinatus. Nos autem, non Urbis potius, quam veritatis

N

stu-

*Veritatis potius  
quam Urbis ama-  
toribus Auctor  
scribit.*

98 DE ADVENTITIIS ROMANI  
studiosis laborem nostrum probare satagentes, rationem, & experientiam sequemur, facem nobis præferentes.

*Situs Romani agri aquis colligendis, & continendis aptissimus.*  
II. Porro si spectemus naturalem situm tot convallium collibus interjectarum, & tantæ planitiei, ubi Romanus ager positus est, oculis ipsis cernimus, ad paludes, & stagna facile colligenda, terram depresso, ac subsidentem inclinare, nisi diligens incolarum studium derivandis pluvialibus, fluvialibus, jugibusque aquis perpetuò incumbat. Quod, cum tot seculorum fluxu ante Urbem conditam, & à Regibus usque ad Imperatorum tempora habitatores partim imperitiâ, partim incuriâ, partim etiam bellis externis, cibilibusque identidem intermisserint, nil mirum, si frequenter paludes, & stagna, unâque variæ cœli vices illatæ fuerint, ut demonstrabimus.

*Vbi olim fuerit Velabrum.*

\* 6. Faſtorum.

III. Constat in primis, vel ante Urbis initia juxta Collem Palatinum, Forum, & Circum maximum, magnam illam hæſisse paludem, quam Velabrum appellabant, de qua Ovidius \* :

*Hic, ubi nunc Fora sunt, uide tenuere paludes,  
Amne redundatis fossa madebat aquis.  
Curtius ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,  
Nunc ſolda eſt tellus, ſed fuit ante lacus.  
Qua Velabra ſolent in Circum ducere pompas,  
Nil praeter ſalices, caſſaque canna fuit.*

In

IV. In eâ autem nascentis Urbis regione, cœlum tunc proculdubio noxium erat; nam de Aboriginibus, de quibus Dionysius<sup>b</sup>: *Aborigines Romam occupant, qui primùm in montibus passim sine mœnibus vicatim habita verunt*, Solinus<sup>c</sup> scribit: *eosdem aliquando fuisse prope Palanteum* (est autem Palanteum idem, ac Collis Palatinus, ut tradunt Donus<sup>d</sup>, & Nardinus<sup>e</sup>) *sed propter incommodum, nempe detrimentum, & noxam, vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profectos Reate postmodum reliquisse.* Aborigines igitur (sic apud Græcos appellati, quod montes incolerent) primùm quidem procul à paludibus hospitium saluberrimum, contra verò prope paludes infestum invenerunt, unde fugâ fese proripere coacti sunt. Atque hinc factum reor, ut ad exiccandum Velabrum omne conversum fuerit prisorum Romanorum studium, vel cum Urbs ipsa in suis incunabulis versabatur. Scilicet per effossum primò, atque extrectam à Tarquinio Prisco cloacam maximam, Stygia illa, penè dixerim, aqua in Tiberim deductâ est, & salubritati vagientis adhuc Romæ opportunè provisum. Quo spectavit Q. Fabius<sup>f</sup> Pictor, loquens de Velabri convalle: *Paludes, inquit, plures passim Tiberina inundatio efficiebat, quæ banc aream non satis idoneam habitationi reddebant, antequam, factis Vertumno sacrificiis, in alveum*

<sup>b</sup> Lib. i. Antiqu.  
Rom. in princ.

<sup>c</sup> De orig. Urb.  
cap. 2.

<sup>d</sup> De rest. salub.  
agr. Rom. p. 36.  
<sup>e</sup> In sua Roma  
antiq.

*Aborigines unde  
diagi.*

*Velabrum quando exiccatum.*

<sup>f</sup> Ubi Capitol.  
& Palatin. de-  
scribit.

*suum Tiberis verteretur. Quinimo probabile*  
*videtur, locum illum, nec totum, nec statim,*  
*inductâ exiccatione salubrem evasisse, sed uolum,*  
*cœnosumque relictum; ab infima duntaxat plebe*  
g In Cœcul. act. 4. scæn. 1.  
*fuisse habitatum. Nam Plautus g ait: In Vela-*  
*bro vel pistorem, vel lanium, vel haruspicem,*  
*Vel qui ipsi vortant, vel qui alii subversandas*  
*præbeant.*

V. Præterea nullus, nisi in Romanis anti-  
 quitatibus hospes, nescit, cloacas non solùm pro-  
 pe Velabrum, sed in imis omnibus Urbis regio-  
 nibus apertas fuisse; scilicet ne amplius aquarum  
 colluvies, ad Tiberim, propter humilem, depref-  
 samque locorum naturam, fluere prohibita, in-

b Decad. 1. lib. 1, cap. 16. putidas, fœtentesque lacunas concederet. Livius <sup>b</sup>  
 enim inter opera pacis à Tarquinio Prisco inchoa-  
 ta, recenset cloacarum substructionem in hæc ver-

Cloacis substructionis ima Urbis loca exiccatæ ab antiquis. ba: cum infima Llrbis loca circa forum, aliasque  
 interjectas collibus convalles, ex planis locis baud

facile eveherent aquas, cloacis è vestigio in Ti-  
 berim ductis, siccavit: quo intelligimus palustria  
 olim fuisse ima omnia Urbis loca, quæ, cum ta-  
 lia fuerint, pro studio salubritatis oportuit exic-

i Lib. 36. cap. 15. care. Plinius <sup>i</sup> verò eadem memorat de M. Agrip-  
 pa: Præterea cloacas operum omnium dictu ma-  
 ximum, suffossis montibus, atque Llrbis pensili,  
 subterque navigata à M. Agrippa in ædilitate  
 post consulatum, per meatus corriuati septem-  
 amnes,

*amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere, atque auferre omnia (nempe impura etiam corpora, propter moram aëri labem illatura) coacti.*

VI. Frontini <sup>k</sup> locus non certè omnibus obvius, mirificè confirmat, quod probare instituimus, Romam cùm sua inter initia, tum postea adventitiæ aëris inclemenciac ex stagnantibus aquis obnoxiam, iisque remotis, nativæ statim salubritati restitutam fuisse. Is autem florentissimis Romaní Imperii, Nervæ scilicet, & Trajani temporibus, diligens aquæductuum Curator fuit; ait igitur: *Ne prætereuntes quidem aquæ otiosæ sunt; nam immunditarum facies, & impurior spiritus, & causæ gravioris cœli, quibus apud veteres Urbis infamis aer fuit, sunt remotæ.*

VII. Hinc Romanus Populus, superstitionum, Deorumque olim feracissimus, quemadmodum febrem, ad minus nocendum templis coluit, ita Deabus Cloacinæ, & Mephiti, ad ea potissimum arcenda mala, quæ tunc etiam temporis ob putidas, ac foetentes aquas identidem recurrebant, fallente quidem, bonâ tamen cum spe, litare consuevit.

VIII. Quod de sola Urbe hactenus confirmamus, de universo Latio definit Strabo <sup>l</sup>, geographorum sui ævi diligentissimus, qui, licet sub Tiberio Cæsare scripsiterit, quo tempore Roma-

nus

<sup>k</sup> Com. de aquæduct. pag. 115.  
Frontini locus insignis.

<sup>l</sup> Vide tex. cit. parte priori cap. I.

nus ager immenso populo frequentabatur, ita tam  
en Latii clementiam commendavit, ut iis dunata  
xat locis salubre appellaverit, in quibus aquæ non  
hærerent; contra verò morbosum juxta paludes  
dixerit; quo sanè luculenter docemur, non ipsam  
solum Romam, ejusque suburbia, sed pleraque  
etiam Latii loca, vel inter maximam populo-  
rum multitudinem, & florentis imperii opulen-  
tiam, ideo salubri cœlo donata fuisse, quia à la-  
cunis, & stagnis erant vindicata; cum Ardeati-  
nus ager, & finitimæ humilioris soli regiones,  
quæ tunc, ne maximâ Ædilium curâ exicca-  
rentur, repugnarunt, & obliterunt, propterea  
mali aëris infamiâ jure meritò palam damna-  
bantur.

<sup>m</sup> Vid. Marfil.  
Cagnat. qui de  
Rom. aer. salub.  
pag. 9. hanc sum-  
main summo stu-  
dio ex Liv. col-  
legit.

<sup>n</sup> Pestilentie, quas  
Livius memorat,  
ex palustri solo  
orte sunt.

<sup>n</sup> Apud Livium  
præsertim dec. 1.  
lib. 3. cap. 3. ubi  
describit irru-  
ptionem factam  
ab Equis, &  
Volscis in agrû  
Rom. pestilentia  
afflictum.

IX. Neque certè aliud extitisse censendum  
est morbi genus, quod spatio ducentorum <sup>m</sup> an-  
norum, nempe à ccxc. ad usque ccccx. c.  
(quo postremo tempore Consulatum gerebat Gn.  
Cornelius Scipio, & C. Duilius) vicies, & bis  
Urbem affixit; nisi epidemicas constitutiones, gra-  
vesque annos ex hujusmodi adventitia cœli labe  
subertos. Quas quidem epidemias veræ pestis no-  
mine minimè dignas fuisse clarè docet, tum quod  
plerunque mala hæc Urbem solummodo, non  
vicina etiam loca afflixerint; tum vel maximè  
quod narratur <sup>n</sup>, Romanorum hostes armatos  
sæpe in Latium incurrisse, grassante per Urbem

mor-

*Latii salubritas  
etiam florente  
imperio non nisi  
ab exiccato solo  
conservata est.*

morbo, quem pestilentiam dicebant. Si autem nuda Romanæ pestis suspicio fuisset pervulgata, certè finitimæ gentes de bello inferendo minimè cogitassent, ne contagione hostium sibi cladem conciscerent. Tantoque exploratius est, ægritudines, quas Livius pestilentes vocat, genuinas pestes non fuisse, sed febres purè epidemicas ex inducto palustri solo, quanto clarius idem Livius <sup>o</sup> refert, anno, quo frequenter fierent ludi Apollinares, gravem pestilentiam in Urbem, agrosque incidisse, quæ magis in longos morbos, quam in perniciales evasit. At nunquam pestis non est pernicialis, & plerunque ipsa, quæ ex paludibus inducuntur mala, in diurna concedunt.

X. Huc accedit, quod apud eundem legimus: *cum magnus esset metus vastitatis in Urbe, & agris, Dictatorem creatum, & Fidenas captas fuisse*; ut credi nequeat, grassante peste, quæ contactu tam facile serpit, tantas res perfici potuisse. Unde conjicere licet, ex variis in victu erroribus, ac præcipue ex inductis cœniosis aquis olim Romæ, ut nostris quoque temporibus evenit, graves annos interdum sequutos.

XI. Tandem Dionysii <sup>q</sup> testimonio constat quanta fuerit magnitudo erogatarum impensarum pro ipsis purgandis cloacis, aliquandiù indiligerter habitis, cuius verba adscribimus: *C. Aquilius affir-*

<sup>o</sup> Dec. 3. lib. 7  
cap. 23.

<sup>q</sup> Lib. 3. pag.  
<sup>144.</sup>  
Quanta impensa olim purgatae cloacæ.

104 DE ADVENTITIIS ROMANI  
affirmat, neglectas aliquando cloacas, & non  
transmittentes aquas, Censores mille talentis pur-  
gandas locavisse; quam sanè summam æquare  
sexcenta aureorum nostrorum millia, censet Nar-  
dinus. Ita nullis parcendum sumptibus Populus  
Romanus sapientissimè putabat, ut nativam cœli  
sui salubritatem ab hærentibus aquis redimeret,  
atque impendentem ab iis perniciem averteret,  
& propulsaret.

*De Arte, quâ olim, deductis in libertatem aquis,  
Romana salubritas servabatur, & de Le-  
gibus eam in rem conditis.*

## C A P. I I.

Quid Romæ,  
quid Urbis ap-  
pellatione intel-  
ligatur.



<sup>a</sup> De aquis, &  
aquæduct. pag.  
157. n. 292.

<sup>b</sup> Leg. 2. ff. de  
verb. signif.

UNQUAM duæ hæ voces,  
*Roma*, atque *Urbis*, unum,  
idemque significare videan-  
tur; sunt tamen inter se di-  
versa, quæ per easdem indi-  
care voluerunt Antiqui, ut  
novissimè advertit Raphael  
Fabrettus <sup>a</sup>, qui nomine *Ur-*

*bis* quidquid moenibus continetur, & aratro, sive  
*urbo* definitum est, cum Pomponio comprehen-  
dit, nomen verò *Romæ* continentia quoque ædi-  
ficia complectitur; quod confirmatur à Paulo <sup>b</sup>

J. C.

J. C. his verbis: *Urbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet*: quorum fines adeò laxat Lipsius <sup>c</sup>, ut urbes, atque oppida circumposita<sup>3</sup>, Ostiam, Ari-

<sup>c</sup> De Magn.  
Rom.lib.3.cap.  
3.

ciam, Ocriculum, aliaque incluserit.

II. Sed quo usque se extenderit, suisque suburbii procurrerit Roma, non est nunc nostrum inquirere; cum nec olim rem hanc omnino definitam fuisse, ex iis, quæ Dionysius tradit, facile intelligi posse videatur: *Adeo (inquit Halicarnassus) suburbana ipsi Urbi adhærent, & conjuncta sunt, ut speciem immensæ cujusdam longitudinis spectantibus exhibeant.*

Nobis autem sat is erit, si omni, ut putamus, dubitatione careat, Romam priscis temporibus, propter multitudinem civium, rusticorum, servorum, libertorum, atque advenarum, quæ Urbem cum suburbii, quæ vicos cum tabernis, quæ villas cum diversoriis frequentantium, per universum ferè Latium, præsertim maritimum, productam quasi fuisse, ut præ aliis ex Plinio <sup>d</sup> juniori colligere est, qui ad villam in Lauretino positam amicum invitans, his verbis alloquitur: *Litus ornant varietate gratissimâ nunc continua, nunc intermissa tecta villarum, quæ præstant multarum urbium faciem, sive ipso mari, sive ipso litore utare.* Quæ quidem villa felici etiam nunc sidere dominum mutavit, non mores; nam benignitate,

<sup>d</sup> Lib.2,epist.17.

Quatenus pa-  
tuerit olim Urbs  
cum suburbii.

O atque

atque munificentia veteres non æmulatur tantum, verum etiam antecellit nobilis Sacchettorum familia, ad quam ipsa pervenit. Ejus tamen loci aër variavit in dolem, quippe qui locus nostrâ æstate, præterquamquod in desertissima solitudine positus est, damnatis circumquaque, putidisque inquinatur aquis, quæ villæ jucunditatem æstate penitus adimunt, hyeme solum restituunt; cum olim, eodem Plinio teste, contrarium accideret: *jucunditas, inquit, ejus hyeme minor, major æstate.*

III. Hæc porrò monuisse oportebat, ut nemo non intelligeret, innumerablem penè gentem, in tot urbanas, rusticasque Tribus divisam, diligenter incumbere potuisse corrivandis liberè in cloacas, in scrobes, atque in amnes, aquis, quominus vel mundiciam Urbis, vel agriculturam, ornatumque impedirent, ac propterea sedulò prohibuisset, ne aër ex marcescentibus lymphis fordidus, atque insalubris redderetur. Multitudine scilicet incolarum, & cœli salubritate, mutuam inter se opem ferentibus; cum illorum frequentia deducendis aquis idonea, salubritatem tueretur, & salubritas frequentiam alliceret, atque foveret.

IV. Quale autem, quantumque fuerit studium, ac solicitude priscorum Romanorum, ut aquæ tum fontanæ, tum pluviae, tam in Urbe, quam

*Multitudo incolarum salubritatem tueretur, & quare.*

*Antiquorum cura de fodiibus abludendis, & aquis derivandis.*

quām in agro suos per ductus solutē fluenter, omnemque viarum, locorumque immundiciam tollerent, is probè cognoscere, ac metiri poterit, qui advertat ducendis, derivandisque laticibus, non solum publicos Ædiles<sup>e</sup>, & Curatores constitutos fuisse, sed minores etiam Magistratus, integrasque familias, unam quidem publicam ccXL. hominum; alteram Cæsaris dictam CCCCLX. quibus tutela ductuum, tam intra, quām extra Urbem, ad subitos præsertim casus concredita erat, ut legere est apud Frontinum<sup>f</sup>.

V. His verò familiis eos adscriptos fuisse arbitramur, qui Hydrophylaces<sup>g</sup>, sive Aquarii appellabantur, quiq[ue] custodes omnium aquæductuum hujus Regiæ Urbis deputati singulis manibus, Imperiali impresso nomine, signabantur, ut bujusmodi adnotatione manifesti essent omnibus, nec à Procuratoribus domorum, vel quolibet alio ad usus alios avellerentur, angariarum, vel operarum nomine tenerentur. Eum autem, qui in defuncti Aquarii locum subrogabatur, eodem signo notatum esse volebant, ut militiæ quodammodo cum cæteris sociatus, excubiis aquæ custodiendæ incessanter inhæreret, nec muneribus aliis occuparetur.

VI. Sed quoniam publicæ quæque res non nisi legum, pœnarumque severitate custodiri, & conservari queunt, idcirco ratis, firmisque decre-

<sup>e</sup> Vide munus Ædilis latè exposit. à Platin. lib. 2. de opt. Civ. , quem refeat Bobadilla de la Politic. lib. 3. cap. 6.

<sup>f</sup> Comm. de aquæd. pag. 118. & 119.

<sup>g</sup> In l. Decernimus, §. universos autem Cod. de aquæd. lib. 2.

*Qui fuerint Hydrophylaces.*

*Veterum Romanorum leges pro libero aquarum cursu.*

## 108 DE ADVENTITIIS ROMANI

<sup>b</sup> L. nemini ad sublimem Cod. de Consul. lib. 12. & ex l. seq. tis primò vetitum erat, ne aurum <sup>b</sup>, in honorarii Consulatus adeptione solutum, & reficiendis duntaxat aquæductibus deputatum, ad alterum quodlibet opus extruendum, vel curandum converteretur; & si quis <sup>i</sup> contra fecisset, de suis facultatibus eandem summam aquæductus titulo repensare cogeretur.

<sup>i</sup> L. Hac legi lib. 2. Cod. tit. de aquæduct.

*In eos qui aquam corrumpi finerent*

VII. Deinde qui aquam hærere, & olere finerent, graviter mulctabantur. Lex præcipua fuit:

NE QUIS AQVAM OLETATO DOLO MALO, UBI PUBLICE SALIT. SI QUIS OLETARIT SEXTERTIORUM X. MILLIUM MULCTA ESTO.

VIII. Ne cui autem verbum oletare obscurum esset, appositiè subdidit Frontinus <sup>k</sup>: *oleato, videtur esse, olidam facito, cuius rei causa Aediles curules jubebantur per vicos singulos ex iis, qui in unoquoque vico habitarent, prædiave haberent, binos preficere, quorum arbitratu aqua in publicum saliret.*

<sup>k</sup> Ubi supra pag. 117.  
<sup>l</sup> Quid sit aquam oletare.

IX. Tum jura <sup>l</sup> quoque vetuerant, ne ullavis fieret, aut impedimentum poneretur iis, qui publicos, privatosque rivos, vel cloacas purgabant, aut reficiebant. Edictum propositum erat à Prætore in hæc verba:

QUO-

QUOMINUS ILLI CLOACAM , QUÆ  
EX ÆDIBUS EJUS IN TUAS RETINET ;  
QUA DE RE AGITUR , PURGARE RE-  
FICERE LICEAT , VIM FIERI , VETO , DA-  
MNI INFECTI , QUOD OPERIS VITIO  
FACTUM SIT , CAVERI JUBEO .

X. Hoc autem Edictum explicaturus Ulpia-  
nus <sup>m</sup> rationes adducit , propter quas cloacæ pur-  
gandæ , ac reficiendæ sunt , scilicet quia utrum-  
que  $\ominus$  ad salubritatem Civitatum ,  $\ominus$  ad tu-  
telam pertinet . Nam  $\ominus$  cœlum pestilens ,  $\ominus$   
ruinas minantur immundicie cloacarum .

XI. Jure igitur meritò si quis olim rivos ,  
vel cloacas voluisse reficere , aut purgare , *novi*  
*operis nunciatio prohibebatur*; *cum hoc publicæ*  
*salutis* ,  $\ominus$  securitatis intersit ,  $\ominus$  cloacas ,  $\ominus$   
rivos purgari <sup>n</sup> . Plura occurunt apud Cuja-  
cium <sup>o</sup> de cura publicæ salutis , addito etiam fa-  
vore pro iis , qui reficiendis , purgandisque cloa-  
cis operam dabant .

XII. Maximè itidem interdicebatur in Urbe ,  
ne quis caducam ex castellis aquam privatas in-  
ædes cum publicæ salubritatis damno subdolè  
deduceret . Scilicet prisci probè noverunt , eos la-  
tices , qui ex receptaculis , assiduè , abundanter  
que effluabant , trifariam salubritati aëris subser-  
vire

<sup>m</sup> Lib. 71. ad  
Edictum.

<sup>n</sup> L. de Pupillo,  
§. 2. ff. de novi  
operis nunciat.  
quod habetur e-  
tiam in l. Servius  
autem, §. si quis  
rivum , ff. de ri-  
vis , & in l. 1. §. si  
quis purganti , ff.  
de cloacis.

<sup>o</sup> In Parat. ad  
lib. 50. sub tit.  
de cloacis.

*Vetitum ne quis*  
*aquam caducam*  
*ex castellis sub-*  
*duceret,  $\ominus$  quare.*

IIO DE ADVENTITIIS ROMANI

vire potuisse. Primò quidem prohibendo, ne superficies aquarum, in septis conclusarum, sensim hæreret, atque herbesceret; unde impuri halitus expirarent. Secundò circumfusum aërem, æstate præsertim agitando, ac temperando, Romæ potissimum, ubi sæpe per id temporis silent venti, æstusque vehementer sollicitant. Tandem inhibendo, quo minus immundiciæ in viis, atque cloacis (jugibus quasi scopis destitutæ) consisterent, atque corrumperentur. Publicum verò Mandatum erat hujusmodi.

CADUCAM NEMINEM VOLO DUCE-  
RE, NISI QUI MEO BENEFICIO, AUT  
PRIORUM PRINCIPUM HABENT. NAM  
NECESSE EST EX CASTELLIS ALIQUAM  
PARTEM AQUÆ \* AFFLUERE. CUM HOC  
PERTINEAT NON SOLUM AD URBIS  
NOSTRÆ SALUBRITATEM, SED ETIAM  
AD UTILITATEM CLOACARUM AB-  
LUENDARUM.

Alias EFFLUE-  
RE.

XIII. Hoc verò decretum summoperè salutare in Urbe extitisse, apparet ex iis, quæ superiori capiti, à Frontino accepta, inseruimus; videlicet pereuntes (nempe ex castellis decidentes) aquas, otiosas tunc temporis non fuisse, quippè quæ per vias liberè effluentes, *immundiciarum*  
*fa-*

faciem, impurum spiritum, & causas gravioris cœli ab Urbe removerent. Sed utinam ejusmodi leges nostro ævo suos ad usus revocarentur; ( quemadmodum nunc Augustæ Taurinorum servari audio, ubi flumen *Duria*, in rivos divisum, per Urbis illius semitas salubriter devolvitur) certè à stagnantibus aquis, à cœnōsis viis, cloacisque non adeò frequenter nobis metueremus.

XIV. Mirari similiter subit maturum consilium, quo viri illi gravissimi solebant, unâ, eademque lege pluribus simul Urbis commodis prospicere; nimirum & colendis agris, & purgando, tuendoque Romano aëri provisum esse studentes. Etenim volebant, aquarum possessores, per quorum fines formarum meatus transi- rent, ab extraordinariis oneribus esse immunes, ut eorum opera aquarum ductus sordibus op- pleti mundarentur; nec ad aliud superindictæ rei onus iisdem possessoribus attinendis, ne circa res alias occupati, repurgium formarum facere non curarent. Quod si neglexissent, amissione pos- sessionum mulctabantur; nam fiscus <sup>p</sup> prædium ejus, obtinebat, cuius negligentia perniciem for- mæ concessisset.

XV. Sed quoniam nonnullæ regiones (Ager nempè Ardeatinus, & loca Pontina) per ea quo- que tempora nihilo sublimiores erant, aggesto nimium litore maris, hærentes aquas in pelagus omni-

Purgandi soli  
summum studium  
apud antiquos.

<sup>p</sup> Ut in l. aqua-  
rum possess. tit.  
de aquæduc.lib.  
2. Codicis.

Loca Pontina, &  
ager Ardeatinus  
nulla cura insa-  
lubritatem vitare  
potuerunt.

omnino exonerare non poterant, neque ullâ proinde legum, aut Magistratum, aut Incolarum curâ, solertiâque insalubritatis notam vitare valuerunt.

*Quo Romanorum Pontificum seculo ex palustribus aquis huic cœlo adventitia labes accesserit.*

## C A P. I I I.



Uo studio, quâ sedulitate, quibus legibus, florente Romana re, salubritatem cœli sui à palustri solo, & stagnantibus aquis vindicaverint Majores nostri, jam satis, opinor, superiori capite ex incorruptis vetustatis monumentis eruimus. Nunc ea tempora percurramus, quæ dominam gentium Romam, datam barbaris prædam, extremaque omnia perpetiam ingemuerunt. Ex quibus alii quidem imperii detrimenta, vicesque; alii verò Ecclesiæ, sacrisque rebus illatas clades; nos pro instituti nostri ratione vastitatem saluberrimæ regionis, aëre ex putrescentibus aquis infecto, colligemus. Quam sanè labem omnium teterimam, & orbitate ci-vium, & solitudine agrorum, & malorum diuturn-

*Ex aquis putrescentibus exitium  
Urbi illatum.*

turnitate reputamus: quanquam Scriptores plerique omnes ea solum tradiderint, quae hostium vi, & copiis irruptentibus edita sunt; minimè fortasse intelligentes, nullâ incursione graviori affligi urbes posse, quam cum ad earum exitium elementa ipsa conjuraverint, tunc enim omnia contabescere, & funditus interire necesse est, *lento consumpta duello*. Primi omnium Totila, & Vitiges ad Romanum excidium his armis usi sunt. Etenim fævissimæ biennali obsidioni, quâ sub illis Gothorum Ducibus Roma cum suis viciis, villis, ac finitimis oppidis vexata est, illud maximè nativæ salubritati hujus aëris detrimentum accessit, quod, excisis aqueductibus<sup>a</sup>, tunc primum Romanum in agrum effusæ aquæ inundaverunt, & in stagna passim confluxere. Narrat hoc Procopius<sup>b</sup>, cuius fidem quantum fert poëeos natura, ubique sequitur elegantissimis versibus Trifinus<sup>c</sup> Italus Poëta, non ad communem palatum factus.

II. Neque porrò ambigendum est, quin bellicum artificium diffringendi aqueductus ambientis aëris perniciem tandem inferat, præsertim cum iisdem locis autumnali, æstivoque tempore militum castra consistunt. Etenim latices tum ex mora, tum ex fœditate paulatim humilibus, sinuosisque terris putrescunt. Quamobrem, vitia-  
tis haustibus, & corrupto aëre, ut Vegetius<sup>d</sup>

*Totila, & Vitiges  
eam perniciem  
primi attulerunt.*

<sup>a</sup> De numero aqueductuum, Rom. vid. controver. eruditè diremptam à Raph. Fabretto in sua de Aquæduc. disserr. 3. n. 173. & seq.  
<sup>b</sup> De bello Goth. lib. 3. n. 16. pag. 355. & lib. 2. n. 3. pag. 399.  
<sup>c</sup> Lib. 13. Ital. liber. pag. 75.

<sup>d</sup> De Reb. Milit. lib. 3. cap. 2.

## 114 DE ADVENTITIIS ROMANI

advertisit: *perniciosissimus etiam in militibus nascitur morbus, qui prohiberi non potest aliter, nisi* (ut Romanus Consul in Carthaginensi obsidione tentare coactus fuit) *frequenti mutatione castrorum, quæ sanè cum, post aqueductus exercitos, movere noluisset Lotreccus*<sup>e</sup>, Gallici exercitus Imperator, in obsidione Neapolis anno 1528. legiones suas maceravit, & perdidit. Nimirum ob diuturnam alicubi multarum lympharum stationem, ac putredinem, cœlum semper noxiū evadit.

*Urbis calamitates sub Totila.*

III. Allatis verò à Gothorum sœvitie universo penè Latio cladibus, quot, & quales intra Urbem calamitates adjunctæ fuerint, quæ non vastitatem solùm, sed simul etiam aquarum moram, fordiumque congeriem necessariò solent accersere, nemo historiis eorum temporum initatus poterit ignorare. Totilas enim captâ Româ, ejusdem mœnia pluribus locis solo æquavit, ad tertiam penè ambitus murorum partem, ut narrat Blondus<sup>f</sup>, Urbemque ferè omnem, cum iterato in servitutem redegisset, flammis damnavit.

IV. Non me præterit Urbem Romam quinto seculo à Gothis sub Alarico primùm obfessam, ac direptam fuisse. Unde fortasse quis ante Totilam, & Vitigem hanc cœli inclem tam illatam fuisse deducat. Sed nemo non novit, Alaricum Romanas depopulatum opes, Templis

*f In Hist. dec. 1.  
lib. 6. pag. 80.*

ta-

tamen, & aquæductibus abstinuisse, cui cum postea ex eadem gente Princeps excelsi omnino animi successisset Theodoricus, hic non solùm damna, à Gothico milite Romanis terris illata rependit; verùm ea etiam, quæ temporum injuriâ, atque propter civium indiligentiam ipsi aëri, ex stagnantibus <sup>g</sup> aquis inducta fuerunt, emendavit.

V. Gothis deindè non multos post annos ad Latii desolationem, Scythicâ feritate ferocior, gens successit Longobardorum, qui, licet Româ nunquam potiti fuerint, ejus tamen agrum ita igne, ferroque vastarunt, ut, dirutis villis, fugatisque colonis, aquæ nullâ penitus arte suos per scrobes, & canales, ut oportebat, derivari amplius potuerint.

VI. Miserandum totius Romani agri statum Divus Gregorius <sup>b</sup>, qui Romæ temporibus illis vivebat, & mox universaliter Ecclesiæ, flevit per hæc verba: *Ubique luctus aspicimus, ubique gemitus audimus. Destructæ urbes, everfa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est: nullus in agris incola, penè nullus in urbibus habitator remansit: & inferius: ipsa autem, quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit conspicimus. Immensis doloribus multipliciter attrita desolatione civium, impressione hostium, frequentiâ ruina-*

*Theodoricus excelsi animi Princeps.*

<sup>g</sup> Vide testim. de pontinarum palud. exiccat. per Theodoric. absoluta apud Cassiodor. lib. 2. var. 32. Volater- ran. lib. 6. suæ Geograph. pag. 165. Donum de Rest. Sal. Ag. Ro- man. pag. 136. & Corrad. Vet. Lat. lib. 2. cap. 16. Clades a Longo- bardis illatae.

<sup>b</sup> Homeliâ 18. in Ezechiel.

*rum; ita ut in ea completum esse videamus, quod contra urbem Samariam per hunc eundem Prophetam Ezechielem longè superius dicitur; in qua certè rerum ruina, aquas suos extra ductus, & scrobes passim dejectas, ac stagnantes, gravem putorem quaquaversum concepisse, unusquisque intelligit.*

VII. His accedit, quod per ea tempora, præter hostilem rabiem, inaudita propemodum Tiberis contigit inundatio. Etenim, ut narrat Joannes Diaconus<sup>i</sup>, alveum suum egressus tantum excrevit, ut super muros Urbis influeret, atque in ea regiones maximas occuparet; quæ cum ita fuerint, certum est, cloacas, amnes, atque torrentes omnes, qui per inferiorem Latii partem in Tiberim aquas suas exonerant, à libero cursu fuisse prohibitos, ac subinde dispersas lymphas latius, diutiusque in Romano agro computruisse. Unde vermium, serpentumque multitudo orta fuit, ac denique immanis, & diuturna pestilentia, quæ Pelagium etiam Papam extinxit, atque ita in reliquum vulgus desæviit, ut, subtractis habitatoribus, Urbem penè in solitudinem redegerit.

VIII. Sed quoniam est multò facilius vastare regiones, quam restituere; & sola, diuturnaque pax, ac præsentia magnorum Principum eo iterum deducere colonias potest, unde abductæ, fu-

<sup>i</sup> In vita S. Gregor. lib. 1. cap. 34. & seq.  
Tiberis inundatio memoranda.

Tum pestilentia.

fugatæque fuerunt; idcircò mirum videri non debet, si multorum decursu seculorum infelix Latium, pristinâ majestate orbatum, miram vastitatem, atque squalorem fuerit expertum, qui tunc longè crevit, advertente Dono<sup>k</sup>: *cum Astulphus, impius ille Longobardorum Rex Stephano III. Papæ, ac Populo Romano infensus, contra ea, quæ Pipino Francorum Regi, semel ab eo victus, promiserat, Urbem Romam iterum vexare quam acerbissimè cœpit, eamque circumquaque obsidere, quo tempore nec sacris, nec profanis ædificiis pepercit; quin obvia quæque, rabie quâdam efferatus dirueret, incenderet, ac perfundaret.*

IX. Ærumnas deinceps, ac depopulationes à Longobardis illatas, ferè ad integrum desolatiōnem i x. seculo auxerunt Francorum copiæ, gens olim ad Apostolicæ Sedis tutelam accurrens, quæ à Sergio II. Romanoque Populo arcessita, omni officiorum genere excepta, & amicè primùm apud eos hospitata, mox militari insolentiâ, tanquam in hostico omnia circum ædicia barbarorum in morem populata est.

X. Deindè insatiabilem crudelitatem exercuerunt nostro in agro Saraceni, qui proper incolarum impotentiam, Latinorum fines ingressi, pleraque maritima oppida miserandum in modum diripuerunt: quocirca, ut idem subdit Donus<sup>l</sup>:

<sup>k</sup> Loc. cit. pag.  
68.

*Francorum copiæ  
Romanis infense.*

*Saracenorum im-  
manitas.*

<sup>l</sup> Loc. cit. pag.  
70.

*Ro-*

## 118 DE ADVENTITIIS ROMANI

Romani agri cultores partim in captivitatem abducti, partim occisi, partim assiduarum populationum metu, relictis patriis terris, in tutiora, ac maximè montana loca concesserunt, ibique hæserunt.

XI. Neque sanè fuit hæc unius diei à Saracenis inficta strages; etenim, scribente Leone Ostiense <sup>m</sup>, per quadraginta fermè annos innumerā circumquaque mala gesserunt, multumque Christicolarum sanguinem effuderunt.

<sup>m</sup> In Chronic.  
cap.43.pag.181.

XII. Hinc porrò facile deduci posse censem, cur S. Petrus Damiani <sup>n</sup> x i. seculo, scribens Cœlum Rom. x i. seculo propter adventitiam noxam improbabatur.

*Roma vorax hominū domat ardua colla virorū,  
Roma ferax febrium necis est uberrima frugū,  
Romanæ febres stabili sunt jure fideles,  
Quem semel invadunt, vix à vivente recedunt.*

Nam nullus est pertinacium febrium parens magis prolificus, quàm aér palustris, cui tunc temporis Roma propter adventitiam labem obnoxia erat.

<sup>o</sup> Lib. de contemp.mund.cap. 9. pag.248.

XIII. Similiter nemo mirabitur Innocentium III. <sup>o</sup> qui xii. inter, & xiii. seculum Eccl-

clesiæ tenuit gubernacula, scripsisse paucos Romæ  
*suo tempore ad annos quadraginta, paucissimos*  
*ad sexaginta pervenisse.* Universam etenim præ-  
cocis adeò mortis causam sapiens lector facile re-  
jicit in adventitiam Romani cœli labem, tunc  
temporis ex Latii ruinis, pigras aquas reddenti-  
bus, inductam. Neque id profectò inficiari pote-  
rit, qui advertat, Pontificem hunc scripsisse post  
maximas illatas Romæ clades, tum supra recen-  
fitas, tum temporibus ipsi proximioribus ab Ar-  
naldo <sup>p</sup> Brixiensi, qui postquam Eugenius III.  
Româ discessit, contra universam ejus factio-  
nem, conversa in furorem plebe, usque ad do-  
morum, templorumque excidium crudelissimè de-  
sæviit. Hinc recens Urbi vastitas accessit, &c,  
hærentibus quaquaversum aquis, circa eam loca  
palustria, ac penè lethifera evaserunt.

XIV. Omnium luculentissimè Otho <sup>q</sup> Fri-  
singensis, describens adventum ad Urbem Fride-  
rici I. paulò ante viventis, adventitiam hanc cœli  
inclemantium exponit per hæc verba: *Jam tem-  
pus imminebat, quo Canis ad morbidum pedem  
Orionis micans, exurgere deberet: ex vicinis sta-  
gnis, cavernosisque ruinosis circa Urbem locis,  
tristibus erumpentibus, & exhalantibus nebulis,  
totus vicinus crassatur aer, ad hauriendum mor-  
talibus lethifer, ac pestilens. Urgebatur hoc in-  
commodo in Urbe civis, hoc tempore ad monta-*

*Sub Innocentio  
III. rari in Urbe  
senes.*

<sup>p</sup> Ex Othon. Fri-  
sing. de rebus  
Frider. lib. 2. cap.  
20. pag. 252.

<sup>q</sup> Loc. cit. cap.  
22. & 23.

*Adventitiae incle-  
mentiae Romani  
aeris testimonium*

*na consuetus fugere; in castris miles tanta de-  
suetus aeris intemperie. Nec dubium est, quin  
civis ad obedientiam Pontifici, ad ditionem  
Principi suo venisset, si miles extra tantum in-  
commodum pati potuisset. Verum innumeris hac  
cœli corruptione in morbos gravissimos incidenti-  
bus, Princeps dolens, ac nolens, suisque tantum  
morem gerens, ad vicina montana transferre  
cogitur tabernacula, ubi, accepto prudentum  
consilio, corruptum, quem biberant aerem, pbar-  
macis propellendum, exercitum, quantum potuit  
recreavit.*

XV. Neque sanè hunc in Friderico anilem  
metum fuisse apertissimè evincunt ea, quæ præ-  
cedenti capite <sup>r</sup> de prælio habito Romanos inter,  
& Friderici milites per hæc verba narrantur: *uno*  
*tantum ex nostris* ( mirum dictu ) *occiso, uno*  
*capto. Plus enim nostros intemperies cœli, quam*  
*Romanorum ledere poterant arma.*

XVI. Desertus tandem, ac penè ad solitu-  
dinem redactus est Romanus ager postquam se-  
culo x iv. Clemens Papa V. sedem fixit Avenio-  
ne. Etenim septuaginta spatio annorum, Roma  
plus fortè vastitatis ex sacri Pontificis absentia,  
quam ex barbarorum præsentia, atque incursio-  
nibus pertulit. Ingenia quippe, & artes, cum  
semel fuerint oppressa, nisi præsenti Principis  
beneficiâ recreentur, miserè tandem exarescunt.

Quid?

<sup>r</sup> Ejusd. lib. O-  
tho Frising.

Pontifícia Sede  
Avenionem trans-  
lata, vasitas agri  
Romani augetur.

Quid? quod dissidia Romanos inter Proceres orta, vicos, & oppida Romæ proxima affixerunt, ut tam externa, quam intestina bella pulcherrimam hanc orbis partem fœdam, miseramque reddiderint.

XVII. Lacunis igitur, stagnis, ac paludibus, quæ post recensitas Latii clades, partim hominum incuria, partim desertione terrarum, cultorumque penuria fuerunt inducta, atque adhuc alicubi perseverant, illa cœli noxa, quam plerisque humilibus Romani agri locis nostrâ etiam ætate experimur, accepta referenda est.

XVIII. Quare viri clarissimi Jo. Baptista Donus<sup>t</sup>, & Ferdinandus Nuptius Archiepiscopus Nicænus<sup>u</sup> è celsiori Præsulum ordine, salubritati Romani agri, ejusdemque culturæ, & colonorum frequentationi diligentissime studentes, palustria hæc loca firmissimis rationibus excanda penitus admonuerunt.

<sup>t</sup> Loc. cit. pag. 98. & 99.  
<sup>u</sup> Illustriss. Nuptius laudatur.  
In Dissertat. Vern. de Cultura, & frequent. Agri Rom. pag. 14.



Q

Re-

*Recensentur tempora , quibus Roma Pontificum  
curâ exiccato solo ad pristinam salubritatem  
revocata est ; quæ à Pio V. usque  
ad nostram ætatem aucta  
ostenditur .*

## C A P. I V.



UANQUAM non sit perspicuum , quo præcipue tempore vastata Urbs eam cœli inclem tam , quam tot seculorum fluxu propter hærentes aquas contraxerat , deponere cœperit ; illud tamen ex Pontificum Actis conjicere generatim possumus , Romam jamdiù squalentem , atque udam , multò postquam sacer ex Gallia Princeps huc remigravit , pristinam clementiam alicubi resumpsisse . Etenim liquet historiarum fide , Ex Ciaccon.  
in ejus vita . Gregorium XI. ( eum scilicet Pontificem , qui divino permotus Numine anno M C C L X X VI . Apostolicam Sedem Avenione in Urbem reduxit ) privata , & publica ædificia , penitus labefactata invenisse , gentemque Romanam tunc temporis adeò imminutam , ut incolarum , & civium capita vix xxxii. millia censita fuerint . Quinimò

\* Ex Ciaccon.  
in ejus vita.

Paucitas Roma-  
norum incolarum  
sub Gregorio XI.

mò; cum post Gregorii obitum gravis oratio nomine totius Romani Populi apud Sacrum Cardinalium Collegium habita fuisse, in ea quidem illud potissimum urgebatur, ne talis eligeretur Pontifex, qui Sedem ultra montes rursus transferret, quod Monasteria, aliaque sacratissima Martyrum loca, corruentibus cum tecto parietibus, brutis etiam animalibus patuerint.

II. Itaque, cum per ea tempora tum Universalis Ecclesia diversis schismatibus, tum Latium variis intestinis bellis, crudeliter vexarentur, suspicamur tam judges, quam pluvias aquas, tot ruinarum obicibus, aggeribusque interceptas, negligentesque publicā curā, usque ad finem seculi x v. & principium x vi. ubique ferè locorum pertinaciter intra Urbem substituisse, atque computruisse. Etsi enim multi verè Maximi iis temporibus præfuerissent Pontifices, Martinus scilicet V. Pius II. Sixtus IV. Alexander VI. & Julius II. qui restituendis priscis ædificiis, novisque excitandis sedulum studium impenderunt; his tamen brevis aut pax, aut vita obstitit, quominus grandia vel meditata solum, vel inchoata jam opera aggredierentur, atque perficerent.

III. Evecto autem ad Pontificatum Leone X. post primam decadem seculi xvi. ipsa Roma è pristinis suis miseriis caput efferre, nativamque aëris clementiam iterum respirare visa est. Etenim,

*Ad finem usque  
seculi x v. aquæ  
putrescentes Ro-  
manum aerem  
inquinaverunt.*

*Sub Leone X. sa-  
lubrissas restitu-  
it caput.*

cum magnus hic Pontifex peregrinos immunitate multarum rerum (ut Jovius<sup>b</sup> scripsit) undique ad incolendam, augendamque Urbem invitasset, ingens multitudo ab Insubribus, atque Cœnonianis, Circumpadanisque populis fortunas suas Romam avidissime transtulit; itaut ad Campum Martium extructis ædibus per amplam Coloniæ condere videretur. Cuncti enim ædificando, ornandoque domos, & villas (quod certè sine locorum exiccatione fieri nequit) Romanæ Urbis salubritati non minus, quam elegantiae studabant; unde populus, inusitatâ aëris clementiâ gaudens citissimè adiunctus est. Censebantur si quidem eo tempore civium, & inquilinorum octogintaquinque millia.

IV. Hic illud liceat obiter monere, vulgus nostrâ ætate turpiter decipi, cum putat Manlianam villam, secundùm Tiberim quinto ab Urbe lapide in via Portuensi positam, vivente Leone X. non fuisse, quemadmodum nunc est, damnati aëris, quod Pontifex hic venationum causâ illam maximè omnium frequentaret; erat enim per ea quoque tempora Manlianæ cœlum omnino inclemens; cuius rei oculatum habemus eundem Jovium<sup>c</sup>, qui Leonem idcirco improbare videtur, quod villam hanc, proximi stagni balitu, & caliginosi aeris intemperie prope toto anni tempore infamem, habitaret. Ubi tandem vel ipsis

<sup>b</sup> In Vita Leonis X. lib. 4. pag. 83.

Villa Manliana etiam sub eo Pontifice damnata aëris erat.

<sup>c</sup> Ubi supra.

ipsis Kalendis Decembris febri, quæ ei suprema extitit, correptus fuit. Hinc Lector utiliter deducat, plerasque suburbanas villas, quas in præsentia noxii cœli experimur, superioribus etiam Pontificum ætatibus, ob vicinas nimirūm hærentes aquas, perniciosi itidem aëris fuisse.

V. Sed, cum in politicis, atque œconomicis frequenter usu veniat, quod in rebus natura- libus passim contingit; scilicet nonnisi longo tempore, nec amplius morbo recurrente, quæ diù extenuata fuerint, corpora refici posse; nil mirum, si Urbs Roma, multorum decursu seculorum vastata, atque in solitudinem ferè conversa, etiamsi munificentissimus Leo incompara- bili magnanimitate illam decennio circiter recreaverit, duris tamen, miserisque paulò post succedentibus Clementis VII. temporibus, in anti- quum desolationis morbum ocyssimè reversa fue-  
Sub Clemente VII. in pristina incommoda Urbs recedit.

VI. Denique, cum Deus Opt. Max. post tot, tantasque temporum, in deterius semper caden- tium, vices, diuturniorem Ecclesiæ, atque Urbi tranquillitatem largitus fuerit, ipsa Roma ab an-

*Post Clementem  
VII. novis semper  
salubritatis præ-  
sidiis instruenda  
est.*

no MDXXXIV. quo Clemens VII. decepsit, ad nostram usque ætatem, scilicet duorum ferè seculorum decursu novis sensim extructis ædificiis, suffossis cloacis, apertisque, & constratis viis, & compitis, uno verbo, exiccato solo, ipsa, inquam, Roma ad priscam, nativamque cœli clementiam in dies magis, magisque contendit, atque assurgit.

VII. Studium brevitatis nos admonet, ut multa prætereamus, quæ à Paulo, & Julio, horum nominum Tertiis, itemque à Paulo, & Pio IV. magnifice, venustèque suscepta in Urbe fuerunt, quæ ab historiis repetenda sunt. Ea tamen particulatim percenseamus, quæ à Pio, & Sixto V. usque ad nostra tempora, ita in Romanæ civitatis commodum, atque splendorem excitata fuerunt, ut simul plerisque intra mœnia locis opportuna accesserit exiccatio, atque salubritas, quibus, ut patres nostri miserè destituebantur, ita nos feliciter gaudemus.

VIII. Porrò campum Vaticanum, qui vel <sup>¶ Hist. lib. 2.</sup> Tacito <sup>d</sup> teste, publicâ olim infamiæ notâ propter aquas ibidem stagnantes, damnabatur, quamquam superioribus ætatibus, utcunque tolerabilem efficeret ignis fornacum proximè ardentium, quippè qui, calcem, lateres, aliaque fictilia indesinenter precoquens, udum illum aërem quo modo exiccatbat; Pius tamen, & Sextus V.

alter

*Qui Pontifices  
salutarem operam  
Urbi impende-  
rint.*

alter quidem à fundamentis Ædes, & Carceres S. Inquisitionis, alter verò Templum Divi Petri magnificientius erigentes, aliquantò magis incolumem reddiderunt; quem ab antiqua censura penitus vindicarunt, idem Sixtus recenti Pontificalium ædium extruktione, quæ à Clemente VIII. absolutæ, & ornatæ nunc à Pontificibus inhabitantur; mox Paulus V. supplemento, ac frontispicio ejusdem Basilicæ, denique Alexander VII. vastissimo illo, mirabilique columnari circa plateau ornamento, quo priscorum ædificia non æmulatus est solum, sed splendore, & magnitudine vincere visus est. Quo fit, ut nostro ævo locus hic, arefacto solo, purgatisque sedulò Hadrianicæ molis fossa, finitimusque pratorum scrobibus, necnon cloacis, & puteis, non tantùm sanctitate præcellat, sed, exceptis collibus, cum aliis Urbis locis adeò de salubritate contendat, ut dignissima, ac tutissima tam Comitiorum eligen-  
di Pontificis, quam electi sedes meritò constituatur. Exinde Romæ plures fortè evadunt longævi ex iis, qui eam regionem, versus meridiem, quam, qui alias incolunt, quos inter unum, quem honoris causâ nomino, hic commemorare juvat Cardinalem Albizium, qui, cum maximam vitæ suæ partem in Leonina regione optimâ semper valetudine fruens, transegisset, nonagenarius decepsit. Accedit etiam Præfus Casalius Præce-

*Campus Vatica-  
nus à quibus Pon-  
tificibus salubris  
redditus.*

ptor

128 DE ADVENTITIIS ROMANI  
ptor emeritus Nosocomii S. Spiritus, qui nonagenario major vivit adhuc, eousque vegetus, ut visitandis suis ægrotis quotidie possit incumbere.

IX. Sed hæc eadem regio admodum facile ad antiquam aëris infamiam redire potest, si studium purgandarum lacunarum, & fossarum omitatur, quem sanè casum nos ipsi superioribus annis vidimus, & deflevimus.

e Hunc non omnino salubrem propè Tiberim censebat Donus loc.cit.pag.9.

Quorum Pontificum studio Campus Martius infalubritati crepus.

f Ut putat Donus ubi supra.

Quid ss. D. N. CLEMENS XI. præfiterit.

g Damnat ut infalubrem Alex. Petr. de Vic. Rom.lib.1. cap. 1. & 3.

X. Campum similiter Martium olim herbosum, quem Leo X. habitandum curavit, innocentium reddiderunt tum Paulus V. sub quo propè Tiberim amplissimæ ædes Burghesiorum familiæ ædificatæ sunt, tum nostro ævo Innocentius XII. qui finitimo in solo magnam Curiam excitavit, quibusdam exiccatis hortis, qui ex publicæ Villæ ruderibus simul aggestis in collems Citorium f vulgo dictum, excreverant; ac tandem CLEMENS XI. qui, etiamsi Rempublicam Christianam maximis nunc turbinibus, fluctibusque jactatam, mœrens gubernet, grandi tamen animo multa semper agitat, quæ ad aëris salubritatem, atque ad prisca restituenda monumenta conducant; proindè navium stationem in ripa Tiberis ad tumulum Cæsarum immundissimam, & valdè inclementem jussit Tiburtino ex lapide, non minus decori, quam salubritati consulens, nobiliori artificio restitui.

XI. Vallem pariter hortorum & seu radicem Mon-

Montis Pincii, cuius Septentrionale latus Gregorius XIII. fundato Græcorum Collegio, & Templo, primus forsitan arefieri jussit, Urbanus potissimum VIII. ad innoxium aërem propemodùm revocavit, longè majori ad meridiem extructo Collegio *de Propaganda Fide* nuncupato, derivatisque per cloacas iis aquis, quæ sparsim ex Trivio hic, atque illuc subsistebant. Denique privata ædificia eodem in extremo monte adjecta sunt, quæ modò ob insignem, salubremque cœli temperiem certatim conducuntur.

XII. Agonalem plateam salubrioris aëris fecit Innocentius X. cum novis apertis viis, ædificatis Templo Divæ Agnetis, & continentibus palatiis, erectoque obelisco, planiciem illam exiccavit, cui nunc minimè officit derivata illuc ex Trivio, quia nimirum jugis est, copiosissima lympha.

XIII. Regiones verò circa thermas Diocletiani, atque emissarium aquæ Felicis (quæ quidem ideo minus tutæ<sup>b</sup> superioribus ætatibus reputabantur, quod vineæ, atque horti circum-  
quaque locati, aquas multas cohibentes uadat terram inducebant) salubritati restitutæ sunt, postquam Pius IV. amplam illam viam aperuit, quæ à Quirinali ad Nomentanam Portam dicit, & quam Sixtus V. à Palatio Pontificio usque ad Ecclesiam S. Sufannæ æquavit, solidavitque; cum enim multa ibidem Templa, & Cœnobia-

Vallis hortorum  
à quibus exiccatæ,  
& purgata.

Innocentius X.  
plateam Agonalem  
salubritati  
restituit.

<sup>b</sup> Apud Donum  
loc.cit.pag.8.

Regiones circa  
thermas Diocletiani  
salubritatem  
Pio IV. de-  
bent.

Bull. Rom. an.  
tom.2. Bull. 66.  
Sixti V. §.2.

succedentium quoque Pontificum ævo extructa fuerint, idcirkò qui modò hanc regionem incolunt, cœlo, quod nulli ex editioribus Urbis locis clementiâ cedit, perfruuntur. Cujus profectò rei certissimam fidem faciunt Religiosi, qui in Cœnobii illis toto anno percommodâ valetudine gaudent. Itaque qui ex humiliori ad hanc editorem regionem valetudinarii commigrant, fractas corporis vires restituunt. Ita passim Carmelitæ ex Monasterio trans Tiberim, vernaculo idiomate *della Scala* appellato, vel media æstate ad Cœnobium *della Vittoria*, à chronicis potissimum morbis evasuri tutissimè transeunt.

*Latus Quirinalis  
ad Meridiem ab  
inclemencia vin-  
dicatum.*

*k Ex eod. Dono  
ibidem.*

XIV. Item declive illud Quirinalis latus, quod in Meridiem, & Exquiliis vergit, quanquam suspectæ olim indolis <sup>k</sup> haberetur: cum tamen ante aliquot annos, variis excitatis ædibus, alicubi arefieri cœperit, iis quidem in locis salubritati oppositi lateris, quod Trivium respicit, æquiparari potest, brevi, ut speramus, undique superaturum, cum excavatâ cloacâ libero cursu in Tiberim derivata fuerit multitudo pluvialium aquarum, quæ hactenus per declives Sixti, & S. Vitalis vias in proximum hortum confluentes perniciosè restagnabant, cuius operis utilitatem maximam, cum ipse Sanctissimo Patri supplex exposuisset, confessim suffodiendam mandavit, quô exiccata universæ illius vallis humus, domibus ædificandis,

atque

*ss. D. N. sollici-  
tudo ad tuendam  
civium valetudi-  
nem.*

atque protrahendæ senum præsertim vitæ admodum opportuna evadet, utpotè quæ à Septentrionalibus ventis tuta est. Utinam aliquando via planè Pontificia ab ea Quirinalium ædium janua, quæ brumalem ortum spectat, versus Lateranensem Basilicam aperiatur: nam iis locis decor, & nobilitas, immo verò salubritas major propter omnimodam ventorum libertatem, proculdubio accedet.

XV. Cæterum inter alias Urbis partes, quæ propter humile, udumque solum, impuri aëris, dum vel ipse in adolescentia versabar, reputabantur, ea certè potissima erat, quæ locata est trans Tiberim circà Ecclesiam S. Francisci ad Ripam nuncupatam; universa quippè propter hortorum culturam palustris evaferat. Sed hic situs, cum à Clementis X. tempore, extructis undequaque ædibus, nunc magnâ ex parte aefactus sit, non amplius insalubris existimatur. Quod sanè commodum non modicè auxit Innocentius XII. qui Hosptium Sancti Michaëlis ad portum Tiberis in ampliorem formam redegit, cui tandem loco, æternâ planè cum sui nominis gloriâ, pulcherrimam faciem præbuit Sanctissimus CLEMENS XI. maximâ scilicet utrinque factâ ædificiorum accessione ad latus quidem Meridionale ejus domus, quæ à corrigendis improbabæ indolis pueris vulgo dicitur *Casa della correzzione;*

*Regio trans Ti-  
berim, ubi ædes  
S. Francisci ad  
Ripam, salubris  
effecta, & quorum  
Pontificum opera.*

*CLEMENTIS  
XI. laudes.*

ad Boreale verò recentis, longèque majoris hospitii, quod ab alendis pauperibus invalidis nomen mutuatur. Ita sanè contigit, ut Transtiberina regio non amplius jaceat fœdâ vastitate, sed splendidas ædes, deterso situ, auctas, atque nitentes ostentet.

XVI. Porrò, quisquis videt in tot damnatis antea locis ab una telluris exiccatione reducens salubritatem, fateri non dubitabit, Circum Maximum, situm nempe, qui nostrâ forsitan ætate adhuc in Urbe superest infamis aëris, citò evasurum optimum, ac salubre, si nimirum à palustribus aquis liberatus incolarum frequentiâ inhabitetur.

XVII. Sed multa nunc quoque extra Urbem esse loca penè lethifera hìc, atque illic in agro Romano, non concederim modò, sed etiam contenterim. Hæc autem sunt illa omnia, quæ situ humilia aquas, vel in stagna cohident, vel ita imbibunt, ut cœnosa adhuc, & uda inter æstivos calores remaneant; quæ quidem multò deteriora fuerint, si ventis liberè non everrantur, vel si Australibus duntaxat, qui humidas, acresque particulas secum advehunt, aspergantur. Namque circumfusus aër instar stagnantis aquæ crassus, densus, atqueolidus evadet.

XVIII. Est hìc loci ut advertamus, cur superiori ætate, scilicet cum aquæ ad meridiem,

pro-

*Regioni ad Cir-  
cum Maximum  
non desperanda  
salubritas.*

*In agro Romano  
loca insalubria  
multa sunt ob ha-  
rentes aquas.*

propè Urbem hærerent, Architecti cæteroquin peritissimi, studuerint, ne ædium cubicula aper-tis fenestris Austro objicerent, unde palustria ef-fluvia advehebantur; cur etiam, si ob necessitatem eò vertere conclavia coacti fuissent, fenestras parvas, angustas, raras, atque in summis cubiculis, (quod à Cagnato<sup>1</sup> maximè damnatur) struerent; malebant enim solaribus radiis ædes orbari, quam cum iisdem aëris perniciem admittere: quâ noxâ ob exiccatas paludes sublata, metuque abacto, recentiores maximè satagunt, ut ad meridionalem plagam domorum cubicula spectent.

XIX. Si quis igitur normam cupiat, quâ pos-sit distinguere, quæ loca intra, vel extra Urbem salubria sint, vel insalubria, prædictas diligenter advertat conditiones: etenim si qua regio lentis aquis non gravetur, nec in vicinia palustre so-lum habeat, multoque magis si eadem situ sublimis liberè perfletur à ventis, proculdubio vel inter aestus salubris habenda erit. Contra verò, si locus humilis, cavus, udus, ac cœnosus exti-terit, hunc omnino inclementem dicio. Sed ne-mo potest esse tam certus, quod situs aliquis ean-dem, quam semel induit, perpetuò servet clem-entiam, vel inclemenciam, ut non facilè de-cipi possit; brevi enim, si à stagnantibus aquis liberetur, vel opprimatur, pristinam conditionem deponet.

*Cur domus me-moria patruum  
Meridionalem  
prospectum vita-rent.*

<sup>1</sup> De Salub. Ro-man. Aer. pag. 29.

*Quo paæto locæ  
salubria ab infa-lubribus discer-nantur.*

<sup>m</sup> Advertatur  
Const. XVI. B.  
Pii V. Bull. nov.  
in qua expreſſè  
diſtitutio ex affi-  
dū a agror. cult.  
& paluſtrium  
locorum exicca-  
tione Romanum  
aerem tuiore,  
ac ſalubriorem  
evasiſſe.

*Quid pollicetur  
magnitudo animi  
SS. D. N. CLE-  
MENTIS XI.*

XX. Habemus tamen, quo animos noſtros in ſpem erigamus, fore, ut CLEMENS XI. quem ab iſtituto reſtituendi ad priſtinam cultrarum <sup>m</sup> Ro- manum agrum revocarunt graviora Reipublicæ, & Religionis negotia, rebus tandem compositis, & tranquillitate revocatâ, magnum hoc opus fe- licius abſolvat. Unde Roma ad veterem inco- lumitatem, atque ad priſcam magnificenſiam, omnino valeat aspirare.

*Occurritur iis, qui in ſolam incolarum infre-  
quentiam rejiciunt adventitiam Romani  
aeris inſalubritatem.*

## C A P. V.



T ſolent plerunque vulgares opiniones hominum ingenia, cæteroquin non indoctorum, occupare; non defunt ex iis fortaffè, qui aëris Romani ſalubritatem ſicubi & olim, & nunc fuerit, non vindica- to à paludibus ſolo, ſed ma- xi- mè omnium deberi contendant, multitudini incolarum; atque ideò apud priſcos clementiam aëris per Latium multò majorem, longiusque di- fu-

fusam fuisse, quām modō sit, quia per ea tempora immenso populo frequentabatur, quo crassus

*Populi multitudo  
ne crassum aerem  
solvi.*

aēr solvi, & inquinatus purgari validissimè poterat.

II. Sed vitium, quo potissimum perversa vulgi judicia laborare consueverunt, in hac restitutæ salubritatis ratione eminet plurimum: Cum enim ad effectum quempiam pleraque adjungantur, alia quidem ut causæ, alia ut proprietates, alia denique ut ab ipso enascentia; eorumque omnium ideæ simul cum idea effectus cogitanti animo occurrant, qui in philosophica subtilitate, & discernendis rerum ideis minimè subacti sunt, passim aliis alias substituunt, & vel effectum, vel quæ effectum ipsum comitantur, aut subsequuntur, usurpant pro causa.

III. Proculdubio ad tuendam ab arefacto solo salubritatem, valdè conductit multitudo incolarum, qui accensis perpetuò ignibus, consitis adversus pravos ventos arboribus, excitatis ædificiis, constratis viis, vociferatione, atque halibus partim custodiunt aërem, ne aliundè inquietur, partim motu solvunt, ac purgant, partim denique benigno sale volatili implet, ac vivificant. Sed hæc omnia partam jam, reparatamque ab exiccata tellure cœli clementiam sequuntur, eique retinendæ, aut etiam augendæ subserviunt.

*In vulgi judiciis  
vitium frequens.*

*Quid conferat  
salubritati multi-  
tudo incolarum.*

*Partam jam  
antea salubri-  
tem conservat.*

IV. Addent alii minimè inter se ea cohærere posse, quæ in superioribus dicta sunt. Scilicet justam multitudinem, corrivandis, atque abstergendis humoribus parem, aëris perniciem arcere, & rursus, propulsâ labe, cœlum evadere fovendæ multitudini idoneum. Etenim, si non aliter, quām ipsius multitudinis operâ, studioque restituenda sit salubritas, certè multitudini locus esse deberet, antequam cœlo salubritas restituatur.

V. At loca palustria calidis tempestatibus sunt calidissima, & nocentia, frigidis verò tepentia, & innoxia. Cum primùm igitur homines eadem loca frequentare incipiunt, non quidem id faciunt æstuosis, seu dubiis, ac periculosis temporebus (quibus si hoc tentaverint, plerique omnes, & citò, & graviter ægrotarent) sed, armenta-

*Quo pacto in locis insalubribus primūm coalesce re incipit multitudine.*

a Ex salubri in gravem locum, prima hyeme migrare tutum esse docuit Celsus lib. i. cap. 3. cissimi namque cœnoso statim aëri assuefscunt)

b De re rustica palustres aquas, ut monet Cato<sup>b</sup>, ab agro de num. 155. pellere, atque aliō derivare debent, si segetem curare, ac tutam, salutaremque iis in regionibus sedem ad venturas, atque inclementes tempestates sibi parare velint. Nihil enim salutare est, ut inquit Plinius<sup>c</sup>, nisi quod toto anno salubre est: & ubi cum orco ponenda sit ratio, ibi non modò per-

c Lib. 18. Nat. Hist. cap. 5.

perceptionem fructuum, sed & vitam Colonorum esse dubiam, vel potius mortem quæstu certiorem, rectè advertit Columella <sup>d</sup>.

<sup>d</sup> Lib. i. de r-  
rust. cap. 3.

VI. Ab exiccato autem solo, hoc est remota causâ putidi, crassique aëris ( exemplum ponimus agrum Romanum ) ea sensim decursu totius anni salubritas producitur, quæ à convenarum curâ, palustres aquas submoventium, habuit initium. Neque verò frequentissimæ urbes in ipsis statim primordiis civium multitudine celebratæ sunt, sed paulatim adoleverunt, quod nascientis Romæ <sup>e</sup> initia docent. Priorum scilicet diligentia, operaque, subolescenti multitudini præeunte ad salubritatem aëris partim servandam, partim etiam amplificandam. Et quoniam rerum interitus ipsas sæpè originis causas aperit; cum sciamus civitates incolis abundantes, propter solos neglectos palustres latices ad summam infrequentiam esse redactas, quam solitudinem se cum fletu vidisse narrat Lugduni Batavorum, clarissimus Franciscus de le Boë Sylvius <sup>f</sup>, & nos <sup>f</sup> In Append. VII.

<sup>e</sup> Apud Liv. dec.  
i. lib. i. cap. 3.  
& seq.

*Ab exiccato sole  
ducuntur initia  
salubritatis.*

*Frequentes Balneas, & Naumachias nihil Romanu-  
mano aeri obfuisse. Agitur de studio con-  
structionis, & curâ purgationis  
earundem.*

## C A P . V I .



*Aquis dedutis  
Roma vetus re-  
dundabat.*

ERUM audire mihi videor reclamantes, salubritatem Romano aëri restitutam, falsò tribui paludum exiccationi, cum Roma tunc maximè aquis ubique scateret, cum majori populo frequentarentur. Imperatorum namque æstatibus nullum occurrebat palatum, nulla domus, nullum denique publicum, aut privatum ædificium, quod non thermis, lavacris, naumachiis, stagnis, piscinis, vel fontibus circumflueret. Non igitur aqua conclusa impuri, ac deleterii aëris origo venit accusanda, si ea civitas, quæ olim supra cæteras urbes abundabat hominibus, plus etiam conclusis aquis inquinabatur.

*Non influentium  
aquarum copia,  
sed bærentium  
pernicioſa eſi.*

II. At nos non influentes, & copiosas, sed hærentes damnamus, ac stagnantes aquas. Aquæ verò thermarum, naumachiarum, piscinarum, aliarumque id genus non erant palustres, sed ju-  
ges,

ges, vel saltem recens inductæ, & brevi renovandæ: unde nullam aëri labem afferre, quin potius nimium ejusdem fervorem æstivis mensibus salubriter temperare poterant. Atque ideo operi, cui nunc incumbimus, plurimum conferre arbitramur, si quale fuerit Romanorum studium, quo minus thermæ, & naumachiæ immun-das aquas retinerent, paucis demonstraverimus; hoc enim maximè omnium à Medico, quem rectam lavandorum ægrorum institutionem novisse oportet, ignorari turpe esset.

III. Thermarum cura munus publicum erat, atque ædilicu*m*. Scilicet, ut aqua, quemadmodum decebat, clara esset, ac tepida. Unde Seneca <sup>a a</sup> Epistola 86. hanc priscorum sedulitatem laudat his verbis: *Quām juvabat intrare illa balnea, quæ scires Catonem tibi ædilem, aut Fabium Max. aut ex Cornelii aliquem manu suâ temperasse! Nam hoc quoque nobilissimi ædiles fungebantur officio intrandi ea loca, quæ populum receptabant, exigendique munditas, & utilem, ac salubrem temperaturam.*

IV. Pavimentum thermis erat solidum, & calce ferruminatum (ut apud nostras balneas pas-sim videmus) quo minus aqua vel brevissimo illo tempore ex nuda tellure aliquid extranei posset imbibere: immò exquisita nimis lautitia, atque elegantia M. Agrippam eo duxit, ut suas ther-

*Quæ olim fuerit  
cura thermarum.*

*Quale fuerit  
ipsarum pavi-  
mentum.*

<sup>b</sup> N. H. lib. 3<sup>6</sup>. cap. 25. mas vitreas facturus esset, si prius inventum id fuisset, ut narrat Plinius <sup>b</sup>.

*Quanta munditia in naumachia*

<sup>c</sup> Lib. de spe-  
ctac. epig. 26.

V. Multa sunt notatione digna, quæ docere nos possunt, quanta fuerit diligentia, quâ prudenterissimi Romanæ Reipublicæ Moderatores ad naumachiarum munditiam inducendam, conservandamque utebantur. Imprimis summum erat studium inferendæ aquæ per euripos, ac referendæ per cloacas, quo videre erat, naumachias uno haustu tantam aquarum vim recipere, & finito navalí spectaculo, è vestigio excludere. Unde Martialis <sup>c</sup> advenæ excitat admirationem celebri epigrammate:

*Siquis ades longis serus spectator ab oris,  
Cui lux prima sacri muneris ista fuit;  
Ne te decipiatur ratibus navalis Enyo,  
Et par unda fretis; hic modò terra fuit.  
Non credis? spectes, dum laxent æquora Marte,  
(Parva mora est) dices, hic modò pontus erat.*

VI. Itaque species illa tranquillissimi maris, eousque laticibus non consurgebat immotis, atque impuris, ut alternè remigum, naviumque iictibus fluctuaret, singulisque gymnicis diebus occultè, subitoque inducerentur aquæ, atque educerentur.

*De naumachia-  
rum fundo,*

VII. De qualitate verò fundi, seu pavimenti nau-

naumachiarum semper ipse, non levibus argumentis ductus existimavi, illud non ex nuda, laxaque terra, in lutum facile cessura, sed ex materia, quæ tempore soliditatem nancisceretur, constructum fuisse oportere; quare accolis nihil mali ex cœnoſo unquam solo timendum eſſet. Etenim unum, idemque theatrum tot, tantisque inter ſe contrariis, & ſæpè invicem ſe confeſtim excipientibus ludorum generibus infervire minimè potuifſet, niſi pavimentum firmum, ac valdè rerefſtens, arte, ac diligentiā confeſtum fuifſet. Quem enim fugit eodem in Circo Maximo terræ, maris, ac fluminum ſpectacula celebrari ſolita, videlicet primò ludos Circenſes<sup>d</sup>; ſecundò ludicra certamina; tertio saltantium pompa<sup>m</sup>; quartò venationes; quintò ludos<sup>e</sup> Trojanos à pueris nobilibus turmatim diſcurrentibus; ſextò ludos pugnatorum tam equeſtres, quam pedeſtres; septimò navalia prælia; octavò ludos ſcænicos; nonò oſtentionem<sup>f</sup> hippopotami, & crocodillorum; tandem cadaverum<sup>g</sup> combustiones?

<sup>d</sup> Vide Panv. de  
lud. Circ. lib. 1.

<sup>e</sup> Inventum Au-  
gust. ex Svet. in  
Augustum n. 34.

<sup>f</sup> Plin. lib. 8.  
cap. 26.

<sup>g</sup> Apud Fest.

VIII. Verū ad conjeſturam adeò clara meis argumentis accedunt magnorum Auctorum testimonia, ut certiſſimè poſſim affirmare, nau machias conſtrato fundo donatas fuifſe; itaut ne que cum aquis plenæ, neque cum vacuæ eſſent, paluſtre fundum habuerint.

IX. Porrò Cornelium Tacitum<sup>b</sup> hac de re<sup>c</sup>

<sup>b</sup> XII. Annal.  
n. 56.

ex-

*Non potuisse illis  
solum esse palusstre.*

*i In August.*

expendere juvat, qui Augusti Transtiberinam naumachiam descripturus, his verbis utitur: *Strutio cis Tiberim stagno: struere verò est solidè compingere, non simpliciter cavare.* Quod ipsum intelligendum esse videtur de alia ejusdem Cæsaris naumachia, juxta suum mausoleum celeriter inducta, cujus meminit Svetonius *i*, inquiens: *Navale prælium circa Tiberim cavato solo: quæ cum (forsitan propter aream cœnosam redditam) aërem circumcirca inquinaverit, paulò post in nemus conversa fuit; sicut multæ aliæ naumachiæ ex S. C. terrâ injectâ, ob eandem causam impletæ fuerunt, ut auctor est Panvinius.*

*k N.H. lib. 33.  
cap. 5.*

*Quid Chrysocolla.*

*l Lib. 7. Romæ  
Antiquæ cap. 2.*

X. Neque aliundè arcessendum nobis videtur, quod de Vaticano campo Tacitus tradit, illum infami aëre fuisse infectum, quām quod Neronis naumachia ibi loci parata, cœnoso, hoc est non constrato solo fuisse. Sed longè clarior Plinii *k* locus, ubi exponit, Neronem jussisse, *arenam Circi chrysocollâ inspergi, cum ipse concolori panno aurigaturus esset.* Chrysocolla verò, ut idem tradit Plinius, est humor, qui in fodinis per venas auri defluit, *et crassescente humore, rigoribusque bybernis usque ad pumicis duritiem solidatur*, quam quidem chrysocollam Nardinus *l* credidit esse speciem floris æris. Apud eundem etiam legimus, pavimentum Circi à Caracalla minio fuisse cooperatum.

Et

XI. Et cum Veteres<sup>m</sup> Amphitheatra, Cir-

<sup>m</sup> Lipsius de  
Amphith. cap. 3.

cos, & quæcunque alia loca ad pugnæ usum sternere consueverint rasurâ lapidis albi, vel simpli- ci arena; ne scilicet in tam crebra sanguinis ef- fuscione lubrico statim vel lapide, vel ruderato pavimento nulla esset ratio standi, atque certan- di; hanc sanè consuetudinem inductam fuisse pu- tat Panvinius<sup>n</sup> tum ad ornatum, tum, ut post

*Cur rasura lapi-  
dis, vel arena,  
aspergerent olim  
Romani solum  
Circi, & Ampbi-  
theatri.*

<sup>n</sup> De lud. Circ.  
lib. 1. cap. 5.

naumachiam, emissâ in Tiberim aquâ, nullo limo impediente, reliqua ludicra faciliùs celebrarentur.

XII. Quinimò tanto diligentius credendum est priscos se gessisse, ut aquas palustres à sta- gnis, naumachiis, & amphitheatris penitus arce- rent, quanto ipsi cautiùs procedebant, cum pri- mù electuri essent loca, construendis theatris idonea; de quibus scribit Vitruvius<sup>o</sup>, omne studium adhibendum esse, ut quàm saluberrima sint, ac præsertim quàm longissimè à paludibus ab- sint, rationemque adjungit, *quia homines per lu- dos unà cum conjugibus, & liberis persedentes, delectationibus detinentur, & corpora propter voluptatem immota, patentes habent venas, in quas incidunt aurarum flatus, qui, si à regio- nibus palustribus, aut aliis vitiosis adveniant, nocentes spiritus corporibus infundunt.* Profectò Celsus inter Latinos elegantissimus Medicinæ Scriptor, hanc prophylaxeos partem tractare me- lius non potuisset.

*Studium in eli-  
gendo loco ther-  
marum.*

<sup>o</sup> Lib. 5. suæ Ar-  
chitect. cap. 3.

XIII. Supervacuam autem operam scrutan-  
dis Veterum monumentis impendimus, cum no-  
stros etiam nunc ob oculos obversetur quædam  
*Argumentum ex*  
*platea Agonali.* non injucunda species naumachiaæ in Agonali pla-  
tea, in quam per æstivos ardores Dominicis die-  
bus aqua infunditur, ex qua nulla accolis noxa  
generatur; propterea quod, strato silicibus pavi-  
mento, recens aqua excipiatur. Cui tamen ab  
immunditiis purgando, tum antequam latex af-  
fundatur, tum postquam egestus est, ædiles se-  
dulò incumbunt: nam superioribus annis in-  
terdum accidisse novimus, ut, solo nec  
antea, nec postea mundato, for-  
des per noctem aquis macera-  
tæ computruerint, la-  
bemque circumfuso  
aëri intule-  
rint.



*Venas vitrioli, sulphuris, aliorumque mineralium, quæ Romano in agro patent, ejusdem aeri non obesse, nisi stagnantibus aquis corruptantur. Disputatur de.*

*Temperamentis salubrioribus æstatis, atque hyemis, quæ in Urbe ci- tra excessum sint oportet.*

## C A P. VII.



RATEREA non deerunt, qui contra assertas à nobis causas vicissitudinum Romani aëris opponent, universum penè Romanum agrum scatere venis vitrioli, nitri, sulphuris, atque aluminis; unde aér, etiamsi nullis paludibus inquinetur, tamen adhuc nocens sit oporteat æsta- te, atque autumno, quia iis temporibus propter vim solis uberrima fit expiratio eorum mineralium, quæ apud nostram atmosphærā halitui marini salis conjuncta, stygiam quasi auram componunt, quæ in corpora incolarum illabens, minimo negocio, mixturam sanguinis perturban-  
do,

*Quid objicere so-  
leant etiam Me-  
dici.*

do , ac solvendo , castrenses febres progignit : itaut somnum in proximis vineis carpere mortiferum sit , atque omnino , experientia ad stipulante , vitandum . Hæc porrò difficultas eò studiosius videtur expendenda , quò magis non per vulgi solum ora vagatur , sed plerunque nostrorum Medicorum mentibus altè solet insidere .

*Bifariam dividitur argumentum.*

II. Cum verò argumentum duabus partibus contineatur , alterâ afferente , Latinum cœlum ab elevatis per æstatem , atque autumnum exoticis salibus inquinari ; alterâ decernente , periculo plenum tum incolis , tum advenis vel brevissimum somnum per eadem tempora captum in suburbanis , urbanisque vineis ; nunc priorem partem ad examen revocemus , posteriorem sequenti capite perstricturi .

*Venas minerales,  
Ex illis balitus  
in aerem sublatos  
per Latium inficiari nemo debet.*

*Stridulus chymia-  
ster rejicitur.*

III. Ultrò admittimus , præfatas venas Latinis campis inesse ; nec inficiamur ex horum superficie ( quæ passim scatet , tum rubrâ terrâ , quam pulverem *puteolanum* vocant , tum aquis acidulis ) particulas aliquot propter energiam solaris ignis , calidis potissimum temporibus , solvi , atque in sublime elevari . Quamobrem audiendus minimè videtur stridulus chymiaster , qui contendit , nihil à fixis salibus virtute solis in auras abire posse ; quippè qui ignorare videtur , à Sole ignem subtilissimum , volatilemque cum æthere in terraqueum orbem copiosissimè urgeri : pro-

propterea facili negotio, quemadmodum vulgaris ignis in Chymicorum officinis sal marinum, vitriolum, aliosque hujus generis sales, admixtis cretaceis, solvit primùm, deinde pellit in aërem; ita solaris ignis Latinâ ex tellure, vigente æstu, acido-fixos, quos cum terrâ permixtos offendit, sales aliquâ ex parte solvere, atque in auras potest elevare.

IV. Sed nihil inde Romanæ salubritati timendum est, nisi accedat fluidum aqueum, quo fusi, simulque cum aliis heterogeneis corporibus cohabati prædicti sales computrescant, ut *lib. I. de Nox. Pal. Effluv.* ostendemus. Non enim sulphur, vitriolum, nitrum, atque hujus generis mineralia suaptè naturâ sunt venefica, veluti mercurialia, vel arsenicalia, quorum nullum ex Latii fodinis eruitur; immò verò sulphur, vitriolum, & nitrum, quibus præcipue terra nostra redundat, ut campos fertilissimos reddere solent, similiter & ipsos cives robustissimos faciunt, & colonos quoque semper, & ubique servarent incolumes, nisi alicubi laticibus, sordibusque permixta simul corrumperentur: hinc enim noxia, ac penè venenata mixtura suboritur, quæ in atmosphærā elevari solet.

*Vitriolum, & nitrum per se noxia non sunt, nisi a quis flagrantibus corrumpantur.*

V. Nec porrò deest hic oculatus testis magnus suâ ætate Philosophus, rerumque naturallium exultissimus Michaël Mercatus <sup>a</sup>, qui in

<sup>a</sup> *Armar. 4.  
cap. 2.*

*Ex vitrioli fodi-  
nis aura venefica  
non elevatur.*

sua Metallotheca MS. irridet afferentes, ex vitrioli fodi-  
ni fodinis veneficas auras elevari. Verba sunt,  
ubi agit de calcanthi venis in agro Romano:  
*Foditur terra calcanthi interdum subterraneis  
specubus, vel montium cavitatibus, interdum  
aperto undique cœlo, puteorum instar, non quod  
pestilentes, & lethales exhalationes emittat, vel  
potius conclusas habeat (ut male sibi persuase-  
runt nonnulli) sed quod aliquando cuniculos in  
quibusdam locis effodientes agere nequeant; tan-  
tum enim abest, quod in subterraneis speluncis  
noxium vaporem eructet, sicuti quotidiana do-  
cet experientia, ut potius eorum sanitati con-  
ducat.*

VI. Huc accedit, quod hujusmodi minera-  
lium effluvia per continuatam diu æquali gradu-  
vim Solis in sublimem aëris partem urgentur, at-  
que à ventis dissipantur, nostramque proinde in-  
spirationem protinus effugiunt. Contra verò tunc  
*Quando minera-  
lium effluvia per-  
niciosa evadunt.* sublimatæ particulæ istorum salium evadunt per-  
niciose, cum à pluviis per æstatem, ac princi-  
pium autumni cadentibus, rursum in terram  
præcipites feruntur, facileque, propter impoten-  
tiā, vel incuriam colonorum, cum aliis impu-  
ris corporibus coalescunt. Quo sanè fit, ut alias  
ostendimus, eò deteriores evadere paludes, quo  
magis heterogenea ad illarum productionem con-  
currit mixtura vegetabilium, animalium, ac mi-  
ne-

neralium, quæ putrescentibus lymphis immiscuntur.

VII. Validum præterea hujuscce rei argumentum inde dicitur, quod si sales vitrioli, nitri, aliorumque similiūm per æstatem noxia emittent effluvia, proculdubio quo calidior, & siccior fuisset æstas, eo constitutio aëris in Latio futura esset deterior; sed contrarium passim contingit; nimirūm nullos ferè rusticos, licet Solis radiis maximè omnium verberatos, in malignas febres incurrere, cum viget æstas æqualis<sup>b</sup>, & aliquantò calidior; quod tum Donus suâ ætate, tum nos etiam nostrâ experti sumus: modò tamen tempestivæ pluviae circa Canis exortum immodicas siccitates (quæ ubique locorum propter solum excessum damnantur) crescere prohibeant. Secus verò nosodochia à rusticis tunc potissimum repleri cernimus, cum pluviae identidem æstivo tempore repetunt, quippè quæ disperfa in sublime prædictorum mineralium seminatursum in terram detrudunt, & lacunis tum novis colligendis, tum antiquis refermentandis causam præbent. Paludes itaque, cœnosaque tellus, non verò nudum, siccumque vitriolum, nitrum, & sulphur (quibus alia quoque saluberrima loca scatent, & unde magna eliciuntur pharmaca) Latii cœlum faciunt insalubre.

VIII. Neque verò nostræ sententiæ de elemen-

*Alio rursus argu-  
mento effluvia  
mineralia inno-  
xia demonstran-  
tur.*

<sup>b</sup> Vide Cornel.  
Cels. scriptorem  
alioqui Roma-  
num, qui lib. 2.  
cap. 1. advertit  
ex tempestatib.  
optimas équales  
esse sive frigidæ  
sint, sive calidæ;  
pessimas, quæ  
variant maxi-  
mè.

*Cur pluvias æsti-  
vo tempore repe-  
tentibus rusticis  
plurimum agron-  
tent.*

## 150 DE ADVENTITIIS ROMANI

*Solvitur argu-  
mentum ductum  
ex Petronio.*

*c De Viāt. Ro-  
man.lib.1.cap.4.*

*Extrema laborem  
semper inducunt.*

*a Horat. epist.  
lib.1. epist. 7.*

mentiori Romano cœlo, cum æstas calidior est, ac siccior, quàm cum vicissim humida fuerit, & frigida, quidquam adversatur Alexander Petronius <sup>c</sup>, qui scribit: *illos ex nuda opinione, ac sine ulla experientia loqui, qui putant, æstatem naturâ calidissimam, byemem frigidissimam esse debere; cum in quamplurimis terræ locis, ubi tum æstas, tum byems moderatè se habent, homines & diutius, & salubrius vivant.* Etenim Petronius intelligendus est tum de supremo calore, ac frigore, quæ, ut extrema, laborem semper inducunt, tum de locis universè, ac promiscuè in Europa sitis, quibus excessus utriusque qualitatis obesse solet. Non enim ignoro, æstatem plus justo urentem, Romanis civibus, qui meridiana negotia suis pedibus sollicitant, summoperè importunam, noxiāmque evadere. Ad quod spectat illud Venusini <sup>a</sup>, cum æstivo tempore forensem Romæ operam periculi plenam exaggerat:

. . . . *Dum ficus prima, calorque  
Designatorem decorat lictoribus atris;  
Dum pueris omnis pater, & maternula pallet,  
Officiosaque sedulitas, & opella forensis  
Adducit febres, & testamenta resignat.*

IX. Hoc porrò ex nimio calore infortunium  
mul-

multò facilius in recenti, quàm in antiqua Roma accidere nonnulli, nec quidem sine causâ, sunt arbitrati. Quantum namque viarum latitudo, ac rectitudo pulchritudini, ac decori Urbis adjecit, tantundem salubritati aëris detraxisse videtur; nunc enim nimis liber, atque expeditus patet aditus soli, ventisque per semitas, atque areas civitatis.

X. Porrò non est nova hujusmodi de Urbe querela; nam succurrit Taciti <sup>e</sup> locus, quo ostenditur, Romam propter viarum amplitudinem in suspicionem insalubritatis venisse; cum enim Urbs à Nerone prius incensa, mox recens ædificata fuisset: *Erant, inquit Historicus, qui crederent, veterem illam formam salubritati magis conduxisse: quoniam angustiæ itinerum, & altitudo tectorum non perindè Solis vapore perrumperentur; at nunc patulam latitudinem, & nullâ umbrâ defensam, graviore æstu ardescere.* Atque ideo apud nos in vulgare proverbium abiit, currum Romæ quinti elementi locum tenere; enim verò pedestre iter summâ tam hyeme, quàm æstate, urbanos viros frequenter in vitæ discrimen adducit. Etenim, ut ab Aquilonari, nimiumque algida hyeme oriuntur Romæ etiam epidemici pectoris morbi, cuiusmodi, dum hæc scribimus mense Februario anni 1709. in pauperes, atque in incautos præsertim graviter, in-

*Cur nimius calor  
magis nunc no-  
ceat, quàm olim  
Romanis.*

<sup>e</sup> Annal. lib. 15.  
n. 43.  
*Laxitas viarum  
etiam olim in su-  
spicionem vocata  
invectæ insalu-  
britatis, & qua-  
re.*

solenterque grassati sunt; ita maximo ab æstu, ac  
siccitate, si diù per æstatem perseverent, nostris  
indiscriminatim tum civibus, tum rusticis, co-  
lonisque timendum est; quæ enim sunt extrema,  
sunt etiam periculi plena. Idcirkò legimus apud  
*Livium f: pestilentiam olim ortam fuisse à siccita-*  
*tate; & alibi g: natam similiter pestilentiam in*  
*agro Romano ex siccitate, & caloribus nimis.*  
Etenim ob defectum humidi, tum solida nimium  
rigescunt, tum sales fluidorum nostri corporis præ-  
ter modum acuuntur, & effervescent; unde com-  
munis morbus aliquando productus est, quem suo  
more Livius pestilentiam appellavit.

*Cur ex nimia sic-*  
*citate, & calore*  
*ortæ pestilentiae.*

*Calida, & sic-*  
*ca æstas Romanis*  
*cur salubris.*

XI. Non aliundè autem æstatem calidam, &  
sicciam Romæ salubrem, humidam contra, &  
frigidam noxiā experimur, quām quod humilia  
hæc loca, tum ob regii fluminis viciniam, tum  
ob aquarum quā nascentium, quā adductarum  
ubertatem, suaptè naturā multo humido, quo  
unicè æstus nimius mitescere potest, redun-  
dent; è contrario autem æstas humili-  
da, humidam alioqui terram,  
cœnosam reddat, &  
inclementem.

*Timorem pernoctandi in suburbis Romanis alicubi prudentem, alicubi verò anilem esse; sèpius tamen vitæ periculum apud Cives non ab aeris labe, sed ab erroribus in sex rebus nonnaturalibus, qui occasione rusticandi committuntur, immittenre.*

## C A P. V I I I.



L TERA deindè pars allatæ difficultatis speciem refert experimenti, ut magni proindè ex vulgi opinione æstimanda videatur. Sed vulgaria ingenia laborem dividendi confusa, & scrutandi abdita sèpè fugiunt, ac reformidant. Cùm enim nonnulli viderint, multos Cives in vitæ discrimen venisse, postquam somno aliquâ in villa se dederint, statim, nihil aut situm loci, aut ventorum indolem, aut pravum ægrorum apparatus, vel ingenium pensitantes, generaliter definiunt, universum Latii aërem multitudine minimè agitatum, intra, vel extra Urbem à solstitio æstivo per totum penè autumnum omnino esse lethiferum. At enim

*Judicia vulgaria minimè accusata.*

*Quæ Latii regio-  
nes, & quando  
ob palustres aquas  
insalubritatis dā-  
nentur.*

cum veritatem, ubi ipsa latet, ibi quærendam esse arbitremur, ultrò concedimus, omnes Latii regiones, quæ propter soli humilitatem vel ipsæ palustres, vel paludibus finitimæ sunt, æstivo, atque autumnali tempore, præsertim si nulli flatus, vel si australes, atque africi duntaxat spiraverint, inclematiâ cœli laborare; cuius generis nostro etiam ævo offendimus vicos, villas, ac vineas ferè omnes, sitas extra portam Cœlimontanam, Latinam, Capenam, & Ostiensem; nimirùm propter viciniam pigrarum aquarum, tūm Marianæ, tūm Almonis fluvii, tūm aliarum multarum, jis ex locis sponte nascentium, atque in exiguae paludes conversarum. Undè meritò Plinius<sup>a</sup>, agens de eligendo situ vil- larum, illud præ omnibus monet, *nè juxta palu- des ponantur.*

II. Quinimò vineæ, & campi extra portas Portuensem, Flaminiam, & quotquot juxta Civitatem Leoninam in valle potissimum *inferni* dicta, aquas hærentes, & palustre solum habent, à nobis planè damnantur, jis præsertim calidis tempestatibus, quas vel aër pluvius, & australis præcessit (quod ab Hippocrate<sup>b</sup> in ipsa etiam Græcia observatum legimus) vel cum ipsi latices, ob hy- males pluvias, superfluentes, per scrobes, & cana- les ad Tiberim celeriter; ac liberè verno tempore non fuerint derivati.

III. De jis profecto vineis, & viciis id locum ha-

<sup>a</sup> Nat. Histor.  
lib. 18. cap. 6.

<sup>b</sup> 3. Aphor. 11.  
ubi scribit: si-  
quidem hyems sic-  
ca, & aquilonia  
fuerit, ver vero  
pluviosum, & au-  
strale, necesse est,  
æstate febres acu-  
tas fieri.

habet, quod advertit Joannes Baptista Donus<sup>c</sup>, ubi verba facit de Rusticis, qui post collectam messem ob gravioris cœli metum regredi domum festinant: *Horum, inquit, plerosque videas morbosos, pallidosque aspectu, ac vix firmandis vestigiis, ne dum sarcinulis, aut ferramentis ferendis bables, catervatim mæstos ingredi, quippe quorum magna pars in Urbanis Nosocomiis vel vitam relinquunt, vel longo tempore cum morte luctantur.*

<sup>c</sup> Loc. cit. pag. 31.  
Quibus in vineis  
morboſi rustici ſint  
ex Jo. Bapt. Dono.

IV. Sed hujusmodi ab aëre accepta mala in universum paluſtribus aquis, potu, ſpirituque hauſtis debentur, non verò nudis ſalibus vitrioli, aut aluminis, quorum causâ ſi Romanum cœlum nocens eſſet, certè deteriùs exiſteret apud vineas juxta portam Pincianam, & Latinam, cùm propè illas majori copiâ hujusmodi ſales ſubeffe apertiffimè doceamur à celebri aqua acidula, quæ vix milliaro à Pinciana ſcaturit, cuius venam ſub monte Pincio rectâ ad uſque cloacam maximam, undè fons alter manat acidulâ, fluere ſuſpicamur, & tamen nullus Romæ ſitus magis clemens, & ſalubris eſt, quām qui Pincio, & Quirinali continentur; nimirum, cum hæ regiones collium naturam habeant, tūm ventis liberius agitantur, tūm lymphis celerius iter largiuntur ad flumen, noſtrâ præſertim ætate, quā ipsæ aquis, ut olim, ſtagnantibus non amplius laborant.

Inſalubritas ea-  
rum regionum ſor-  
tis aquis ſtagnan-  
tibus tribuenda.

V. Sed vix ullus, qui dirarum historiam pérsecutionum, quas Christiani ab Imperatoribus Diocletiano, Decio, aliisque passi sunt, de limine salutavit, ignorare potest, Christi-fidelium multitudinem, quam Cardinalis Baronius <sup>d</sup> *colonias* appellat, alacri studio in abditis arenariis conventibus suis, & consuetis nostræ Religionis exercitationibus frequentem incubuisse, ubi homines, libero aëre, euchymis cibis, communique luce privati, nullâ servatâ temporum electione, vivere profectò nequivissent, si à Latii terra, cuius in visceribus hujusmodi cryptæ effossæ sunt, veneficum quidquam efflueret. At quid antiqua hæc commemoramus? cum paſſim nostris oculis testes occurrant sacrarum Reliquiarum effossores, qui totâ hyeme, & parte veris (temporibus nempè, quibus eadem cavernæ propter coërcita effluvia magis essent damnandæ) tam eruendis Sanctorum Martyrum lipsanis, quam invectæ illuc terræ egerendæ, absque ulla penitùs propriæ valetudinis noxa, ferè continenter insudant.

VI. Quod si ejusmodi cryptæ, catacumbæ, ac cœmeteria, modò non sint cœnosa, & palustria, ab hominibus tutò habitari possunt; quid prohibet, quominus etiam suburbana, quæ supra ejusdem Latii tellurem posita sunt, loca, quoties circumcirca à paludibus penitùs vindicata fuerint,

<sup>d</sup> Annal. ad ann.  
Christ. 130. to. 2.  
pag. 81.

*Primi Christiani  
in arenariis com-  
morantes vitam  
producere nequi-  
vissent, si Latii  
terra veneficos  
halitus emitteret.*

*Ex arenariis ar-  
gumentum duci-  
tur ad loca sub-  
urbana.*

rint, citra vitæ periculum incolantur?

VII. Quod verò multi tam sæpè ægrotent, atque non rarò in libitinæ rationem veniant ex jis, qui æstate, atque autumno voluptatis gratiâ ad Romanas vineas, quanquam salubri in situ positas, divertunt; hoc evenire putamus, non quidem vitio aëris, sed cacochymis corporum dispositionibus consultò nunc prætermissis, utpotè fatis notis, & culpâ corundem hominum, qui modum, ordinemque omnem sex rerum nonnaturalium uno, eodemque die in deterius vertere solent.

Quod sanè non fugit Alexandrum Petronium, e De Vict. Rom. lib. 4. pag. 245.

Auctorem, qui hæc habet nostris incolis sedulò animadvertenda: *Verùm æstate, si aut aquilo, aut favonius flaverint, Romanarum vinearum aerem non insalubrem esse censemus: sæpè tamen nocere consuevit, quia homines consuetudinem in omni victu mutant.* Nam Soli sese citra tempus exponunt; intempestivè, multumque, atque non solita comedunt, bibunt, aguntque; crepusculo sub dio cœnant; subinde plerunque sudantes vineam perambulant; postea noctu domum revertuntur. Ita non aer, sed hæc, quæ committuntur, obsunt.

VIII. Sed in re nostris experimentis satis perspecta alienis testimoniis non indigemus. Nam cum viderimus aliis lethiferam, aliis innoxiam in audij

*Ex intemperan-*  
*tia, & consuetæ*  
*vitæ ordine per-*  
*turbato oriuntur*  
*morbi in jis, qui*  
*ad suburbanas vil-*  
*las divertunt.*

suburbanis villis fuisse eandem rusticationem, affirmare non dubitamus, obesse potius quæ committuntur in vineis longè à paludibus positis, quam circumfusum illarum aërem. Multi enim varios errores per licentiam in vineis patrare, eosque apud Medicos reticere solent; quia homines in suorum malorum originibus accusare malunt honesta, & fortuita, quam turpia, & ab ipsis expectata. Quo sæpè factum est, ut clinici in medicamentorum delectu fuerint minus cauti, & febrium perniciem non tantum non averterint, sed celebratis phlebotomiis interdùm acceleraverint. Ex adverso autem viri continentes, abstinentesque quovis anni tempore impunè, ac tutò in jisdem villis (modo cœnosī soli non sint) pernoctant, & rusticantur.

*Viri continent ab eo periculo tuti.*

*Ipse timor insalubritatis noxius est plerisque.*

IX. Quid? quod nonnulli ideò in morbos frequenter cadunt, quia superstitione imbuti non pernoctandi calidis tempestatibus extrà Urbem, etiam in oppidis innoxii penitus aëris, consueto somno abstinent. Romani nanque mediâ æstate, atque inter autumni initia, relaxandi animi gratiâ, Tusculum, Albanum, vel Tibur, loca alioqui laudatissimæ salubritatis, itâ petunt, ut intra spatum vigintiquatuor horarum ire, redireque soleant. Undè antelucano tempore, cum non nisi post Solis ortum surgere consueverint, Româ discedunt; atque, ubi primùm eò pervenerint, insolitis motibus

tibus ad Solis radios sese exercent, mox lautæ accumbunt mensæ, quā vix ablatā, cum nec oscitare, nec dormire velint, ludis, aut exercitationibus tempus terunt, spiritusque ita solvunt, acresque reddunt, ut, cum Romam vesperascente die redeant, non statim in lecto se collocent, sed hūc illūc divertentes, nonnisi ad summam noctem cubitum eant; quare multi, sequenti die capitis dolore correpti, febribus etiam tentantur, non aëris quidèm mutatione, sed culpâ vigiliæ, atque insuetarum exercitationum. Hanc sanè noxam ipse ego, puerili, vanoque aëris excusso timore, vitare didici, quoties ad invisendos (quod mihi sæpè contigit) nobiles ægros locis innocui cœli, vel urente Syrio, perductus fuerim, semper à prandio integrum horam somno transagi, & præ aliis incolumis, hilarisque Urbem repetii, ut alacrior redierim ad pensum meum; cùm sæpè aliquem ex comitibus, qui à somno caverat, ægrotantem inviserim. Quòd tamen de salubris aëris varietate, ac mutatione intellectum velim, quippè & mihi, & aliis religiosissimè caverem æstivo tempore ab impuro aëre, puta Ostiensi, Portuensi, similibusque.

X. Certissimum tandem argumentum ad inanem deponendum timorem, quo nonnulli de noxâ Romani aëris, etiam ubi propè non sunt paludes, anguntur, illud est, quod tria Comitia novorum Pontificum in æstatem, & autumnum ipse-

*Confirmatur ex  
eo, quod Auctor  
expertus ipse est.*

*Et rursus ex Pon-  
tificiis Comitiis  
impunè habitis per  
æstatem, & au-  
tumnum.*

ipsemet viderim incidisse; & tamen ex tot millibus hominum, qui per ea tempora ad Urbem vel famuli, vel comites Purpuratorum festinanter confluxerunt, ne unum quidem levi morbo correptum fuisse; cum ferè omnes in castrensem febrem, quippè plerique Vaticani campi hospites, incurrere debuissent, si Urbs, locis etiam parum frequentatis, à solstitio aestivo ad autumnale æquinoctium inclemenciæ cœli laboraret, quâ certè tunc semper afficitur, cum à palustribus aquis alicubi non vindicatur.



Ventos

*Ventos Australes, quos Romanus ager facile excipit, ac sifit, idcirkò aeri labem communicare, quod paludes, cœnosamque terram inveniant. Nonnulla etiam de Urbis caligine.*

## C A P. I X.



Rit forsitan qui objiciat, argumentum ex Latii convalle, ac planicie depromptum: cum enim Romanus ager præaltis montibus ab Oriente tum hyemali, tum æstivo usque ad universum Septentriōnem undique cingatur, ac de-

*Latium ab Oriente ad Septentrionem montibus septum.*

fendatur; ad Meridiem verò usque ad Occasum hyemalem ita latè pateat ventis Austro, Libonoto, atque Africo, ut illos non solùm liberè excipiatur, sed facilè etiam coérceat, & sifat; hinc multi deducent, eam cœli inclemētiam, quæ ad humiliores hujus agri regiones habitatoribus, ædificiis, ac sylvis destitutas, æstivis, atque autumnalibus tempestatibus repetit, meridionalibus hisce ventis, non verò paludibus acceptam referendam esse, quippè qui per singulos annos iis temporibus majori cum vi recurrentes, copiam

*Ad Meridiem obversa planicie jacet.*

particularum erodentium, ac fermentativarum ex terris, unde veniunt, atque ex mari, quod traji- ciunt, abripere solent, atque convehere; quæ uti- que particulæ à colonis, aliisque ejusdem agri incolis facile imbibuntur; quare, si frequenter ægrotant, id non quidem paludum, sed meridiona- lium ventorum culpâ contingere.

*Qui venti meri-  
dionales, & quan-  
do infensi.*

II. Non inficiamur, meridionales ventos, cum vehementes fuerint, turbidi, & æstuosi, Romæ, atque in agro potissimum esse insalubres, magis quidem æstate, & autumni principio, minus ve- rò per hyemem totam. Sed negamus, eam in- salubritatem, seu potius perniciem, quam in in- cultis, & palustribus Latii locis per æstatem præ- fertim experimur, iis, etiamsi validi spiraverint, ventis tribuendam esse. Hujusmodi enim venti non aliam certè per seipso ad lœendum Roma- norum corpora exerere vim possunt, nisi illam, quam Græcos ex Austro pati exposuit Hippocra- tes <sup>a</sup>. Etenim utrobique tam in Latio, quam in Græcia, cum flant meridionales venti, ab iisdem Africæ terris veniunt, perque idem Mediterra- neum pelagus excurrunt. Atqui apud Græcos <sup>b</sup>: *Austri* solummodo *auditum hebetant, caliginem* visui offundunt, caput gravant, tarditatem de- nique, ac languorem hominibus inferunt; non verò exitiales, & castrenses febres inducunt. Igitur Austri, cum in Romano agro non solum enun-

<sup>a</sup> 3. Aph. 5.

<sup>b</sup> Loc. citato.

enunciata ab Hippocrate symptomata, (quæ hyme quoque Romanorum in morbis, dum ejusmodi spirant venti, passim observantur) sed castrenses etiam febres per æstatem excitent: hoc quidem non vi nativæ indolis Austri, Africique venti, sed particulari, malignoque fermento, hac in terræ plagâ invento, tribuendum esse censuerim, cui tantummodo exaltando, atque urgendo, non autem producendo Auster par esse potest.

III. Hanc verò luem, quam venti meridionales per se non habent, unde nam accipere, & per incultam, minimèque habitatam Latii planiciem quaquaversum convehere possunt, nisi ex paludibus Pontinis, Ostiensibus, sparsimque ab aliis, ac toto ferè cœnoso litore nostri maris, quod ob stagnantes modò hic, modò illic aquas penè lethiferum esse paulò ante ostensum est? Siquidem eorum potissimum locorum accolæ post solstitium æstivum, spirante præsertim Austro, tam malè habent, ut, nisi ad montes confugiant, facile è vita decedant. Propterea, ut recensitos ventos in suo utcunque maleficio relinquimus, ita palustrum locorum perniciem magis, magisque hoc ipso confirmamus, quod Auster non ubique locorum eandem vim exercet, pravosque effectus producit, sed iis duntaxat regionibus est perniciosus, quæ paludibus, aliisque terris corruptorum corporum inquinamento pol-

*Quas afferunt  
particulas noxias,  
à paludibus Pon-  
tinis, Ostiensibus,  
ac cœnoso litore  
everunt.*

lutis, propinqua sunt, atque adversa. Sed de ventis Australibus multò plura à nobis dicta sunt priore <sup>c</sup> parte hujus Dissertationis.

<sup>c</sup> Cap. 3. & 4.

<sup>d</sup> De Morb. Mi-  
lit. cap. 7. pag.  
168.

*Caligo, & nebu-  
la, qua obſtitu-  
cernitur Roma-  
nus aer, salubri-  
tati nihil detra-  
bit.*

<sup>e</sup> De Salub. Ro-  
man.aer.pag.30.

IV. Postremo loco sunt, qui damnant Romanum cœlum, quod densum sit, & caliginosum. Unde Lucas Antonius Portius <sup>d</sup> crimina tur nostrum aërem, quia cernentibus ex Tusculo Romam, tota sub nebulis appetit. Sed ignoscat Vir optimus, meque benignè audiat pro veritate scribentem. Fateor quidem, caligines, & frequentiores nebulas partim à Tiberi, partim à caminis, qui plurimi in Urbe sunt, elevatas videri. Sed illud nego, ambientem aërem propterea esse culpandum. Etenim Cagnatus <sup>e</sup> in Transpadana, salubri alioquin regione natus, scripto testatur, illic crebriorem, densioremque, quam Romæ caliginem fieri. Immo ipse egobis Urbini multorum spatio dierum moratus ( largiente summâ cum benignitate facultatem Pontifice ) matutinas, densasque nebulas ferè semper animadverti: & tamen Urbinum nulli ferè civitati propter cœli clementiam cedere existimatur. Non ergo frequens caligo pravi aëris testimonium præbet, nisi aliud vitium ex mortuis præsertim aquis accesserit, quæ Romæ plerunque atmosphærā inquinant, ut fusè probavimus. Præterea omnem de caligine tollit difficultatem experientia, quæ passim nos docet, ab hac Roma-

manæ Urbis nebula nihil grave nobis accidere. Quod non solùm nos ipsi testari possumus, sed ante nostram ætatem (temporibus sanè, quibus Urbs pluribus locis palustribus aquis inquinabatur) affirmarunt Alexander Petronius <sup>f</sup>, & Marsilius Cagnatus <sup>g</sup>.

<sup>f</sup> Lib. 1. de Vic.  
Rom. cap. 5.  
<sup>g</sup> Loc. cit. pag.  
31.

*De Tiberis inundatione tanquam unâ ex causis  
adventitiæ insalubritatis Romani aeris.*

C A P. X.



I aquarum libratorem nunc agere instituisse, profectò in Tiberinæ alluvionis causas omnes, earundemque operandi modum diligenter inquirere deberem. Nec differo mihi argumenta deficerent, quippe quæ magnis ingeniiis <sup>a</sup> uberem adhuc scribendi materiam suppedi-

<sup>a</sup> Andr. Baccius lib. prop. del Tevere, itemque de thermis lib. 1. tit. inundat. Tiber.

Marsil. Cagnat. disputat. de Tib. inund.

Benedict. Castell. de mensur. aqu. curr.

Jac. Castiglion. dell'Inondazione del Tevere.

Philippus Stonor in prima par. Theatr. Polit.

Baratter. in Architect. aquar.

Philippus Maria Boninus nel suo Tevere incatenato.

Domin. Guglielm. in suo præclaro opere, cui titulus: Della Natura de' Fiumi cap. 10.

Hi quidem omnes, multique alii de Tiberis alluvione diligenter tractarunt.

ditarunt. Sed quoniam ad Medicorum duntaxat eruditionem, atque ad ægrotantium utilitatem studia nostra direximus, satis erit admonuif-

*Nusquam magis, quam intra Ur-  
bem Tiberis ex- undat.* se, Tiberim crebris, ac subitis incrementis nusquam suis aquis magis, quam ipsa in Urbe exun-

dare, atque restagnare; cujus eventus causas sin-

*Prima ejus effecti causa, aucta mo-  
les influentium aquarum.* gulas ad duo præsertim genera hic retulisse sufficiat, scilicet ad auctam molem influentium aqua-

*Secunda, earun-  
dem retardatus motus, & exone-  
ratio.* rum, & ad retardatum earundem motum, atque exonerationem. Etenim flumina toto eo tempo-

re subsident, lenique cursu devolvuntur, quo aquæ effluentes in eâdem proportione versantur cum influentibus: tunc contra attolli, & vel per cloacas regurgitare, vel etiam suas extra ripas effluere incipiunt, cum latices proportione majori influunt, quam effluunt.

*Tiberim augent  
aque confluentes.*

*Partim peregrinæ.*

*b Lib. 3. cap. 5.*

II. Augent sanè molem influentium lym- pharum multæ, pertinaciterque cadentes altis potissimum, ac remotis de montibus pluviæ, vel repente solutæ nives; quinimò fortuitò erumpentes, sereno etiam cœlo, ex terræ sinibus (ipsis in fontibus, aut intra fluminis alveum) aquarum voragini. Tiberis enim, Plinio teste, duobus, & quadraginta fluviis augetur. Nec sanè defuere qui crederent, nunquam Tiberim ripas suas exuperare posse, nisi novo aquarum influxu intumuerit.

III. Sed ne illud quidem incrementum aquæ silen-

silentio prætermittendum mihi videtur, quod Tiberi intra Urbis mœnia, cum exteris superbit aquis, & jam jam suis de ripis effluxurus est, maximum accedit, non modò ex pluvia, septem è collibus, & ex tam lata planicie affatim in fluvium præcipitante, sed potissimum ex jugibus aquis trium magnorum fontium, Trivii scilicet, Thermarum, & Janiculi, necnon torrentis Mariani, quæ quidem, si in unum proprium alveum confluenter, justæ magnitudinis amnem efficerent. Cum igitur superficies Tiberis, novis aquis intumescens, pari libra cum imis Urbis locis ad horizontem fuerit, si propter allata impedimenta retardari contigerit, necessariò ingens horum fontium in Tiberim fluxus ipse quoque retardabitur, quamobrem eadem lymphæ primò in cloacis subsistent, deinde quaquaversum per planæ civitatis erumpent, atque alluvionem inferent, vel augebunt. Propterea, si unquam Romani Principes ejusmodi fontes per proprios ductus rectâ ad mare deflechterent, certè Roma minus esset alluvionibus obnoxia.

IV. Quæ minuunt, & impediunt velocitatem, atque exonerationem aquarum in mare bifariam veniunt consideranda, vel enim de novo adveniunt, vel firma, & perpetua sunt in Tiberis alveo. Quæ nova, & casu quodam Tiberinis aquis accident ad motum impedimenta sunt:

*Partim urbanae.*

*Impedimenta fluentis velocitatē, et exonerationem retardantia, vel fortuita sunt, vel perpetua.*

Pri-

*Primum impedimentum prioris generis, impetus maris, quo fluminis renititur.*

V. Primò, & quidem sàpe, contrarius cursui fluminis ipse impetus maris, quod vel proprio æstu, vel cum Austro potissimum, aut Afri-  
co vehementer intumescit, agitatur, atque im-  
pellitur (eo præsertim tempore, quo per pro-  
prium fluxum idem mare supra nostrum litus la-  
tius extenditur) sàvum, ac tempestuosum reni-  
titur cursui Tiberis, cuius aquas adeò suum in-  
tra sinum non recipit, ut illas Urbem versus  
majori ex parte repellat.

VI. Hoc autem impedimentum non mecha-  
nicâ tantùm ratione, sed ipso quoque oculorum  
intuitu compertum est. Narrat enim Boninus,  
Viros spectatissimos Ægidium Capponem, & Præ-  
sulem Crescentium semel ad Tiberis ostia tunc  
temporis stetisse, cum mare violentissimè no-  
strî cum fluminis undis arietaret, vidisseque  
procellæ impetum eousque fluminis velocita-  
tem retinuisse, ut illud ad superandas ripas coë-  
gerit.

VII. Secundò, idemmet Auster, sed præser-  
tim Libs, qui, cum vehementer flat, si Tiberim  
novis auctum aquis inveniat, quoniam is ab Urbe  
ad Tyrrhenum mare per sectiones, plerunque ad-  
versâ Libyæ fronte locatas, decurrit, itâ retardat;  
ut Ægidius Bordonus, sedulus aquarum Archite-  
ctus ingenuè mihi retulerit, se (cum ripæ fluminis  
extra Portuensem portam ad construendum agge-  
rem

*c Loc.cit. lib.4.  
cap.13.pag.267.*

*Tiberinae, & ma-  
rinæ aquæ vehe-  
mens colluſatio  
flumen urget su-  
pra ripas.*

*Secundum impe-  
dimentum Auster  
vehementior.*

rem superioribus annis identidem adesset) non semel plus solito, & plus etiam, quam influentium autumnali tempore aquarum ratio postularet, Tiberim celerrimè elevatum conspexisse. Meridionalibus nanque flantibus ventis, superficies fluminis magnas, spissasque in undas Romam versus crispatur, truditurque; quamobrem fieri non potest, quin ejusdem velocitas remittat, quæ statim in Urbis alveo mensuram adauget. Hoc viderat Horatius <sup>d</sup>, cum Augusti tempore cecinit:

<sup>d</sup> Lib. i. od. 2.

*Vidimus flavum Tiberim, retortis  
Litore Etrusco violenter undis,  
Ire dejectum monumenta Regis,  
Templaque Vestæ.*

Et quanquam superna retardatio ab austro inducta, non sit æqualis in toto fluminis corpore; nihilominus tamen, cum sciamus fundum Tiberis intrà Urbem variis locis esse impeditum; jure meritò ipsa mora superior magnas inter exundationum causas adnumerari debet. Probat hoc etiam contrarius ex septentrionalibus ventis in eodem flumine effectus. Etenim nos passim vidimus, idemque Bordonus diligenter observavit, Tiberim, quanquam superbientibus undis semitas Urbis obrueret, attamen spirante mox vehementer boreâ, ad alvei sui fræna citissimè, atque inopinatò rediisse.

Y

Ne-

*Tertium impedimentum, tiberinæ aquæ tenacitas.*

VIII. Neque verò inter causas remoratæ tiberinæ velocitatis tertio loco reticenda est ea, quæ à crassitie, ac tenacitate fluentis laticis deducitur: cum enim flumen hoc novis aquis, vel pluviis, vel nivosis augescit; tunc quidem terras, per quas transit, corrodit, solutasque illarum partes secum vehit, quæ subinde ex variis speciebus consurgentes, glutinosum quoddam, cretaceum, viscidumque cœnum componunt, quod, quemadmodum postquam exundationes cessant, superficiem telluris, cui infederat, ità solet incrūstare, ut illinc difficillimè abstergi possit; ità cum fluminis aquis admixtum devolvitur, aliquam eaurundem fluxui libertatem detrahit. Minus enim ad fluendum sunt idonea, quæ majori consistentia donantur liquida; ut patet de musto, de syrups, deque aliis id genus corporibus, quæ ægriùs fluunt, quam simplex aqua. Cui sanè fluxus difficultati ea etiam accedit, quæ oritur ex paleis, arborum ramis, fruticibus, aliisque ejusmodi corporibus, quæ flumini innatantia, cum ad pontes, ad ripas, atque ad aggeres perveniunt, fixis ijs locis ità adhærent, ut novo sint præterlabentibus undis impedimento.

*Quartum impedimentum, fermentatio ab Austerio in Tiberi sèpè excitata.*

IX. Quartò non aspernanda etiam aucti fluminis, exundantisque causa ea esse videtur fermentatio, seu bullarum series, quam in Tiberis supernâ parte tunc temporis excitari videmus.

Etenim

Etenim particulæ fermentativæ ab Africa cum austro adductæ, variis corporibus, quæ salinis, quæ sulphureis, quæ turbidum flumen advehit, admiscentur, & cum illis in fermentationem abeunt; quæ tantò majori cum impetu initur, quantò major est velocitas fluminis, impetuose contra austri renixum, & contra ipsos aggeres, aliaque impedimenta luctantis. Undè fieri non potest, quin oriatur magna rarescentia in partibus aquæ, quæ propterea molem quoque adauget.

X. Quintò demùm semiobstruc<sup>tio</sup> fau-  
cium Tiberis, quæ à congestione arenarum, &  
cœni interdùm fit, præsertim cum navis aliqua  
mercibus onusta, propter maris tempestatem,  
turbido decurrente flumine, quod sæpè accidit,  
ibidem mergitur. Nec porrò me latet Virum<sup>e</sup>  
hydrostaticæ scientiæ peritissimum, hanc arenosæ  
congestionis causam tanti pro inducendis Roma-  
nis alluvionibus fecisse, ut putaverit, maximam in  
attollendo flumine partem habere. Etenim Tibe-  
ris, qui juxtà fauces præ multis aliis fluminibus,  
lenem habet velocitatem, ac proptereà litus agge-  
stioneterrarum semper longius producit; relicto ibi-  
dem cœno, ità proprium fundum ocyssimè attollere  
potest, ut currenti sibi arenarum obicem apponat,  
quæ posteà, ablatis impedimentis (procellæ nimi-  
rūm, immersæ navis, & turbidi fluenti) celerrimè  
quoque ab ipsâ restitutâ liberâ velocitate Tiberis

*Quintum impe-  
dimentum, semi-  
obstruc<sup>tia</sup> Tiberis  
ostia.*

*e Celeb. Monta-  
narus in Patav.  
Lyceo Mathe-  
eos professor.*

removentur. Hanc sanè obstructionis causam optimè subolfecit emunctæ naris Poëta Lucretius, & his versibus perstrinxit:

*Est quoque uti possit magnus congestus arenæ  
Fluctibus adversis oppilare ostia contra,  
Cum mare permotum ventis ruit intus arenam,  
Quo fit, uti pacto liber minus exitus amni,  
Et proclivis item fiat minus impetus undis.*

*Impedimenta,  
perpetua.*

XI. Quod verò spectat ad impedimenta, quæ Romæ perpetuò existunt in Tiberis alveo, hæc quidem multa sunt, simulquæ caufæ, cur flumen nusquam sæpiùs, quàm in Urbe soleat exundare.

*Primum, angu-  
stia alvei ex pon-  
tibus.*

XII. Primum sanè impedimentum est frequenter occurrens angustia alvei propter tot pontes, quà erectos, quà dejectos. Quinimò est ipsum quoque tortuosum iter, cuius repagula, dùm aquæ offendunt, retardantur in motu, & augmentur in mole, quæ à novis influentibus majori copiâ latibus, ita crescunt, ut ab angustiâ riparum contineri nequeant. Undè Tiberis primùm per cloacarum fauces, deindè, superatis etiam ripis, liberiùs per ipsam Urbem difflit.

*Secundum, fun-  
di inæqualitas ob  
moles, pontesque  
dejectos.*

XIII. Secundum est ejusdem pariter fundi inæqualitas, atque elatio, quas nunc longè majores, quàm olim fuerint, existere, post tot, tantasque

tasque Urbis clades, nemo certè dubitabit, qui advertat diruta juxta Tiberim ædificia, pontesque collapsos modò fundum tenere, atque hic illicque necessariam aquarum velocitatem retardare.

XIV. Ad hæc accedunt Ædilium sæpè negligentia, & perpetua plebis temeritas, propter quas multis intrà Urbem locis fordæ, saxa, aliaque id genus solida, & ima potentia corpora in flumen dejiciuntur, quibus necessariò fit, ut & ripæ semper angustiores, & fundum inæquale, atque altius reddatur. Quapropter his etiam obstaculis ità subeuntibus undis minuitur velocitas, ut Tiberis, aliis concurrentibus causis, auctu suo per omnia Urbis plana faciliùs stagnare interdùm consueverit.

XV. Denique Tiberis intrà Urbem cursui non levia ponuntur impedimenta ab ingentibus illis Moletrinis (Pilis staffilariis ab Holstenio appellatis) quæ, licet flumini innatare videantur, sexta forsitan parte immersæ sunt, & fluentibus undis eò magis, ac deterius opponuntur, quò angustioribus insistunt fluvii sinibus, qui propter artefactos palis aggeres, ad colligendam, ducendamque illuc aquam comparatos, jam penè obstructi sunt. Meritò idcirco Raphaël Fabrettus <sup>f</sup> nostram inertiam his verbis inclamat: *Quæ Belisarius, necessitate dictante, incisis videlicet per Gothos in Urbis obsidione aqueductibus, adinvenit;*

*Eodem spectant  
saxa, aliaque in  
Tiberim temerè  
projecta.*

*Tertium pilæ  
staffilarie.*

*f De aquis, &  
aquæd. diss. 3.  
n. 348. & sequ.  
Vide etiam  
quæ in hunc  
eund. errorem  
admonet Boniu.  
oper. cit. lib. 5.  
cap. 5.*

venit; cur, ea cessante, maxima cum deformitate ob occupatum alveum, nec minori incommodo ex interrupto inter supernatem, & infernatem rivum commercio, per damna, atque pericula perdurare patiamur? Etenim non solum privatis jacturis instruimus, impendia fluviatilium ejusmodi molarum utilitatem vincere; nam, jis semel absumptis, vel in præceps (ut non raro accidit) excrescente flumine raptis, aliæ non sufficiuntur: sed publica hic inundationum Urbis damna plurimum augeri ex Geometricis demonstrationibus patet; retardato enim aquæ cursu per ingentes illas, quibus ripæ alligantur, moles, sequitur, aquæ mensuram augeri, quæ contra, sublatis impedimentis, majorem velocitatem acquireret; undè elevatio cef-saret. Additque: Illud pejus in hisce moletrinis accidere, quod in occupandis Tiberis ripis, novo invento, & non ex Belisarii imitatione peccatum fuit: non enim Belisarius pilis staffariis ripam impediit, sed prorsus innoxio molmine, ut Procopius & describit, machinam sub Janiculo ex pontis fornice suspendit, &, aptatis, extensisque ab utraque fluminis ripa funibus, binos lembos colligavit.

*g Lib. 1. de Bello  
Goth. cap. 19.*

*Quo remedio hoc  
impedimentum  
submoveri possit.*

XVI. Sed jam conqueri desinamus, cum aqua, Sabbatino ex lacu in summum Janiculum perducta, versandis nunc in ejus dorso molis (ut olim

olim eodem teste Procopio) à Sanctissimo Pontifice Innocentio XI. meritò fuerit destinata, nosque in spem erigat, fore, ut, cognitis damnis, quæ ex molis Tiberinis oriuntur, aliæ rursus in eodem clivo addantur, illæque igni damnari aliquando possint.

XVII. Ex his autem sapiens Lector duo corollaria non ægrè deducet; primum quidem, ideò Tiberis exundationem nusquam priùs intra Urbem apparere, quām in cloacis, hiantibus in via Ursi usque ad pontem Ælium, seu Sancti Angeli; quia nullo priùs in loco, quām inter prædictum pontem, & Nosodochium Sancti Spiritus in Saxia, cursui fluminis majora occurrunt impedimenta: alterum verò propter varium invicem concursum illarum causarum, quæ molem aquæ tam influentis augere, quām effluentis retardare possunt, varios quoque haberi Tiberis auctus, atque alluviones; ut, cum supremo gradu omnes causæ coiverint, extremæ pariter, ac planè miserandæ exundationes contigerint, ipsaque Roma penè tota fuerit adnavigata: quemadmodùm Divi Gregorii tempore accidisse ex Paulo Diacono alias<sup>b</sup> retulimus.

XVIII. Sed quanquam hujusmodi causæ luculenter patuerint, nullus tamen sanæ mentis fuerit, qui sperare possit, ut vitandis omnino Tiberinis alluvionibus certa præsidia aliquandò inveniantur, quæ in ipsa florente Romani Imperii maje-

*Duo corollaria  
notatu dignæ.*

<sup>b</sup> Par. 2. hujus  
Dissert. cap. 3.

*Nulla arte Ti-  
berinæ alluviones  
vitari possunt.*

majestate vel penitus inutilia , vel malo ipso pejora existimata fuerunt . Etenim , Tiberio imperante , cum semel , serioque de remediis coercendi fluminis Romæ ageretur , Senatus in Pisonis <sup>i</sup> sententiam concessit , qui *nihil mutandum censuerat* : natura quippe optimè rebus mortalium consuluit , cum , ut sua ora fluminibus , suosque cursus , atque origines , ita fines dederit , nec Tiberis , accolis prorsùs flaviis orbatus , minori gloria fluere debet . Vel igitur ima Urbis loca deferenda , & colles duntaxat incolendi , aut quæ nos patimur , & quæ majores nostri passi sunt , ferendum , sinendumque , ut posteri etiam patientur . Illud unum non leve foret præservativum remedium , si nimirum à Pontificibus , priscorum more , *Curatores alvei* , & riparum Tiberis constituerentur , qui , ut Baccius <sup>k</sup> ait , alveum mundare , & ripas usquequaque fluminis dilatare sedulò studerent .

XIX. At quoniam , quæ ex Tiberinis alluvionibus accidunt mala , & multa , & varia sunt ; alia quidem ad architecturam , ut ædium casus ; alia ad agriculturam , ut camporum vastatio , ac sterilitas ; alia ad jus civile , ut terrarum alicui accessiones , alicui detractiones ; alia denique ad pietatis officia , & populorum regimen spectantia ; nos modò suas cuique facultati animadversiones relinquentes , illud tantummodò ( perinde ut Arti Medicæ proprium , & consentaneum )

hic

<sup>i</sup> Ex Tacit. Ann. lib. 1.

<sup>Cum ea de re consultus esset</sup>  
Senatus , nihil mutandum censuit .


<sup>k</sup> De Ther. lib. 1.  
de inund. Tiber.  
pag. 51. sed latius hec  
trusco libro delle Inondazioni del Te-  
vere lib. 3. hoc  
argumentum  
tractat , post quæ  
multò accuratius citatus Bo-  
ninus lib. 5. per  
tot.

hic perpendendum assumimus , scilicet quod ad morbos avertendos , propulsandosque conducit . Ex Tiberis itaque exundatione adventitiam aëri noxam revera nasci , eamque peculiari diligentia posse vitari , ostendamus .

*Ex Tiberis exundatione adventitia aeris insalubritas gignitur.*

*Ex Tiberis inundatione palustrem aeri noxam accedere , nisi eidem opportunis præsidiiis occurratur , & quæ ista sint , ostenditur.*

## C A P. X I.



IBERINIS alluvionibus Incolas humilium Urbis regionum sæpe diuturnis , sæpe etiam særioribus ægritudinibus laborasse , luculentius ipsa plebis clades , & luctus testatur , quam ut ab auctoritate , vel ratione testimonia repetamus . Et quanquam doctissimus Cagnatus <sup>a</sup> , avitum illum , penitusque insidentem Romanorum animis metum Tiberis inundantis abigere studuerit , maioresque nostros , anili , vanâque religione ductos , inter prodigia futurarum calamitatum , atque portenta urbanas inundationes posuisse , ostenderit , minimè tamen inficia-

*a In disput. de Tiberis inund.*

Z tur,

*Anilis metus eorum , qui Tiberis exundationem inter futurarum calamitatum portenta reponebant.*

tur , ex Tiberi inundante eos populares morbos impendere , qui à vitiato , corruptoque aëre solent proficisci . Quod sanè tunc præcipue usuvenire existimat , cum aquæ jam effusæ diu terram madefecerint .

*Alluvionis initia  
animadvertenda,  
& quæ ea sint.*

II. Sed quoniam frequenter accidit , ut nos minora spernentes , summis tantùm , supremisque malis ad inquirenda , adhibendaque remedia extemur , propterea , experientiâ doctus , advertendum censeo , luem aëris non ex magna duntaxat , sed ex parva etiam , atque vix inchoata alluvione metuendam esse , illis præfertim Urbis regionibus , quæ vineis , ac pratis finitimæ sunt . Etenim interdum accidit , ut semitis Urbis , nondum inundatis , per scrobes tamen , & fossas cùm arcis Sancti Angeli , tum continentium pratorum , ut potè situ humiliores , aqua , vel Tiberina regurgitet , vel saltem pluvia , ab elevato nimirum flumine impedita , restagnet . Quamobrem paulatim , obstructis cœno canalibus , etsi mox Tiberis detumescat , iis tamen locis aqua residet , & cum foribus in societatem criminis venit .

*Ea neglecta ma-  
gnas calamitates  
intulerunt.*

III. Hoc verò fluminis incrementum , & foscarum , scrobolorumque repletio , licet vulgo exiguum malum videri possit , attamen , si continentur , pestiferum penè semen maximarum evadit calamitatum ; pedetentim namque , ineunte æstate corrupti , inquinatique latices castrenses potif-

tissimum febres in proximos Leoninæ Civitatis habitatores inducunt.

IV. Sed exundatio non tantum officit, quatenus moræ, & corruptioni aquarum ansam præbet, verum etiam, quia cum Tiberis ad suum alveum recurrit, tunc lateritos, ac tophaceos domorum parietes, ipsaque pavimenta madefacta relinquunt; ac proinde si incolæ uidas adhuc repeatant ædes, propter præpeditam transpirationem juxta varios, quibus iidem donantur, corporum habitus, pravasque plus minus, quibus inquinantur, fluidorum dispositiones, variâ itidem, currente eademmet hyeme, malorum genera contrahunt, quæ inter frequentissimæ sunt febres acutæ, vel chronicæ, viscerum obstrunctiones, necnon rheumata tum simplicia, tum completa; simplicia appellamus dolores articulares, & pectoris, destillationes, ac tuffes; completa verò spurias pleuritides, peripneumonias, sopores, apoplexias, paralyses, & similia; quæ sanè eò facilius solent accidere, quò magis post Tiberinos auctus, vel boreas flaverit, vel ninixerit.

V. Hactenus de malis ab alluvione productis; nunc de remediis aliqua dicenda supersunt. Hæc autem in privata distinguimus, & publica, utraque tamen erunt morborum præservativa.

VI. Privata appellamus præsidia, quæ à singulis habitatoribus regionum, à Tiberi obruta-

*Mala prognata,  
ab humidis domo-  
rum parietibus,  
& pavimenti post  
inundationem re-  
lictis.*

*Remedia adver-  
sus noxam ex al-  
luvionibus pro-  
ductam.*

*Vel privata sunt,  
vel publica.*

*Quæ sint à priva-  
tis adhibenda.*

rum, debent adhiberi. Primum ut caveant homines, ne ad humidas ædium partes incolendas, priusquam exiccatæ fuerint, redeant; sed vel ad colles migrant, vel saltem ad sublimia domorum se recipient. Secundum, ut accenso igne, uda cubicula studeant arefacere. Tertium, ut relictas à Tiberi fordes suis ab atriis, subterraneisque locis, vel ipsi pro viribus extrahant, vel publicis Ædilibus indicent removenda. Tandem, ut optimo vitæ genere, ac luculento camino utantur.

*Quæ ab Ædilibus, & Curatoribus Tiberis.*

VII. Publica verò præsidia spectant ad Tiberis Curatores, atque Ædiles. Sed quoniam hâc in ré nunquam cā, quâ opus est animi sollicitudine se gerere poterunt, nisi probè noverint, quantum futurum sit Reipublicæ detrimentum, si domorum, viarum, cloacarum, aliorumque juxta Urbis mœnia locorum, in quibus Tiberis refederit, expurgatio prætermittatur; opportunum arbitror his attexere Consilium, quod Sanctissimo Domino Nostro exhibuimus, cum per initia sui Pontificatus flumen exundasset.

## C O N S I L I U M

Humiliter subjectum SS. Domino Nostro

## CLEMENTI XI.

*Ult, postquam die xxii. mensis Decembris  
 anni M D C C I I. Tiberis inundasset, ima  
 Urbis loca ab illato cœno, pro con-  
 servanda Romano aeri salubri-  
 tate celeriter abstergi, ac  
 vindicari juberet.*

## BEATISSIME PATER.

Jure optimo Tiberis apud Plinium <sup>b</sup> religio-  
 sus monitor dictus est, quoniam in summâ  
 etiam Romani Imperii potestate ( ut Livius,  
 & Dio testantur ) tanto impetu exundare con-  
 suevit, ut magnam non raro tectorum, peco-  
 rumque, atque hominum stragem secum traxe-  
 rit ; quamobrem egregios illos Reipublicæ Mo-  
 deratores admonebat, ut animum ejusmodi præ-  
 cavendis detrimentis diligenter adhiberent. Et  
 quanquam hoc munus Tiberis Curatoribus decre-  
 tum fuerit, decuit tamen aliquando Principem  
 suâ quoque vigilantiâ avertendis hisce malis sin-  
 gillatim incumbere. Hinc à Suetonio <sup>c</sup> accepi-  
 mus,

<sup>b</sup> N.H. lib. 3.  
 cap. 5.

*Cur Tiberis reli-  
 giosus monitor dñs  
 apud Plini-  
 um.*

<sup>c</sup> In Vita Octavi  
 August. cap. 28.

*Tiberis cura  
Principe digna.* mus, Augustum gloriatum fuisse, quod publicis operibus studium impenderit, præsertimque alvei Tiberis, ne Urbs inundationibus esset obnoxia;  
*d Tacitus An-*  
*nal. lib. i. n.76.* quinimò Tiberium<sup>d</sup>, avocatâ ab Asinio Gallo stagnantis in Urbe Tiberis curâ, remedium coërcendi fluminis Attejo Capitoni, & L.Aruntio mandasse. Nec verò Summorum Pontificum Alexandri potissimum VI. Clementis VII. Pauli IV. Clementis VIII. aliorumque, quæ Sanctitatem Tuam minimè fugiunt, exempla deficiunt. Tuæ itaque Paternæ Providentiæ non exiguum argumentum dabis, si, cum Tiberis inundatio, quin sæpe recurrat, impedire nemo unquam potuerit, hoc eodem tempore, postquam flumen plana Urbis inundavit, Romanæ gentis metui, ac periculis sollicitè obviam iveris.

*Rationes, quibus  
alluviones insa-  
lubritatem aeris  
efficiunt.* Porrò ambiens aër in imis, finitimusque Tiberi locis propter alluviones non modò sæpe insalubrior, sed interdum ferè pestilens redditur. Etenim flumine extra ripas diffluente, statim turbidæ, malèque olentes aquæ ex redundantibus plateis, viis, & vicis, subterraneas ædium cellas affatim ingrediuntur, ibidemque, donec fluvius ad proprium alveum revertatur, coguntur subsistere; ubi puteales quoque aquas, quibus præser- tim pauperes in potum utuntur, inquinant. Postquam verò Tiberis detumuerit, tunc fluxiliores inclusi latices, amoto circumquaque premen-  
tium

tium aquarum impedimento, per terræ poros, veluti per totidem venas, solâ ponderis inclinazione eôdem majorem partem paulatim refluunt. Contra verò corpora non solùm terreo-mucosa, sed multis præterea insectorum, quinimo brutorum etiam, aut piscium cadaveribus, atque ovis, vel certè variis vegetabilibus referta, imarum cellarum in solo præcipitata supersunt. Hujusmodi autem multiplex cœnum, ut hyeme, frigore que constrictum, fixum plerunque, atque innoxium subsidet, ita ab æstivo Sole plus, minusve calefactum, atque solutum ( accedente præsertim Austro ) diffilit in copiosa corpuscula, quæ quidem hominum sanguini, præcordiis, ac cerebro perniciosa, proximarum ædium aërem facillimè implent, atque contaminant. Ad hæc accedit ea labes, quam haustæ puteales aquæ, ipsæ etiam fœdæ, intra incolas ducunt.

Neque Romæ duntaxat, sed ubique locorum experimento compertum est, cœnosam ejusmodi colluviem, cum fermentari incipit, effluvia de se jugiter emittere, quæ validis solùm, ac procellosis, è Septentrione potissimum, ventis ( qui in Belgio frequentes, Romæ verò nonnisi insolenter, ac raro inter æstus flare solent ) penitus dissipari confueverunt.

Ex civium verò, Beatissime Pater, negligentiâ, quæ in postremis Urbis exundationibus

*In aliis etiam  
regionibus idem  
accidit.*

bus hanc malè oлentem fecem purgare, atque amovere omisit, orti sunt morbi, qui antequam gubernacula arriperes Ecclesiæ, sub specie castrorum febrium æstate, atque autumno in dominibus apud Tiberim, & quā spectant mœnia Civitatis Leoninæ, & Arcis fossas, tantâ cum populi diminutione grassati sunt. Cum autem nunc flumen ripas iterum superaverit, novoque limo inferiora loca oppleverit, opportunè, Sanctissime Pater, jussoris, ut quam celerrimè, postquam nempè Tiberis occupatam Urbem penitus reliquerit, attamen non ultra menses Martium, & Apriliem, hujusmodi feces prorsus eluantur. Quanta sanè hinc pendeat cœli salubritas, populoque incolumitatis securitas, inter multa gaudia, quæ divinitùs ei præbes initio regiminis tui, brevi quidem universos summâ cum animi voluptate intellecturos esse speramus.

Quod sanè, ut expeditius, tutiusque peragatur, satis fuerit Præsuli de Judice, doctissimo quippe, ac solertissimo Viro, universum opus concredere; is enim, cum viarum jam Præfecturam exerceat, graviores Ædiles singulis regionibus de more præficiet, qui hæc debitâ sedulitate, ac fide impleri current; videlicet, ne quid per artifices dolo, ac fraude in cellarum, puteorumque fundo, tanquam deleterium malorum semen relinquatur; sed quidquid egerendum est, diligenter

*Opportuna tuenda salubritatis praesidia contra alluviones.*

*Quid cavendum per Magistratus.*

ter extrahatur, atque illicò ad Tiberim; vel ad effossas in pratis altas scrobes, mox statim terrā tegendas, traducatur. Studeant præterea, oportet, ut cloacæ, & fossa mœnium Arcis, & Civitatis Leoninæ cādem methodo à cœno repurgentur, liberumque pluviis aquis parent iter ad flumen.

Hæc habui, Beatissime Pater, quæ prudenterissimo Sanctitatis Tuæ judicio subjicerem, ubi consilii tui maturitate suppleta, ac singulari sapientiâ emendata fuerint, Apostolici animi magnitudine providè capeſſenda.

### EXITUS PRÆFATI CONSILII.

Non est hīc reticendum, Sanctitatem Suam eā, quā cœlitūs donatur, animi providentiâ, atque suos in subjectos charitate, è vestigio jussisse, ut non solum viæ, atque compita, verùm omnes etiam cloacæ, qua parte humilia Urbis loca subeunt, necnon cellæ vinariæ, quas exundans Tiberis impleverat, una cum scrobibus, & fossis Hadrianicæ Arcis, & proximorum pratorum ab omni cœno, ac limo vindicarentur. Quæ quidem Illustrissimus Præsul de Judice summo studio, ac sedulitate, novis etiam Ædilibus deletis, feliciter absolvit. Unde nitidior Romæ facies resplenduit; immò, quod maximi refert, cum ab

*Exinde nullæ ca-  
strenses febres ad  
banc usque diem  
Romæ grassatæ  
sunt.*

eo tempore novem ferè anni jam præterierint, nullæ hactenus in Urbe castrenses febres populariter vagatæ sunt, quales tribus ab hinc lustris tristes, ac lugentes vidimus. Et quoniam firmius nos exempla, quam monita docent, idcirco historiam pestilentialium febrium, quæ Romæ ex alluvione indiligenter tractatâ tunc temporis acciderunt, petat Lector ex libro secundo *de Noxiis Paludum Effluviis.*

*a Epid. prima.*

*De Adventitiis Romani Cœli Qualitatibus à su-  
bito, summoque frigore, deque subortis  
populariter anginis, ac peripneumoniis  
tam benignæ, quam malignæ  
naturæ.*

### C A P. X I I.

*Ordinis ratio.*



Um in aditu secundæ partis hujus Dissertationis universum Adventitiarum Romani aëris Qualitatum genus ad duo potissimum capita revo- caverimus, quorum alterum in palustribus aquis, alterum verò in repentino, pertina- ci, intensoque frigore posuimus; cumque de aquarum hærentium vitio vel arcendo, vel emen- dan-

dando, satis hactenus disputaverimus; reliquum est, ut de illatis à nimio algore incommodis pertractemus.

II. Porrò est ea tractatio nostris præsertim Medicis summopè necessaria. Nam, cum situs Urbis ad meridiem plurimum obversus sit, ventoque Australi, nullis aut montibus, aut sylvis in agro interjectis, maximè pateat; eo fit, ut Romanorum corpora aliquantò laxiora sint, porisque hiantibus, tum ad interna extrudenda, tum ad extranea effluvia excipienda; ac proinde repente, vel furentibus ex Borea ventis, vel nivosis urgentibus constitutionibus, promptius, faciliusque offendantur, quàm illorum, qui adversâ ad Septentrionalem plagam fronte positas Urbes inhabitant, quos è contrario improvisus, obstinatusque Auster facilius, graviusque lædit.

III. Ad hæc, viæ ad Septentrionem directæ, cum nostro, quàm superiori ævo, patentiores, latioresque occurrant (ad Urbis magnificentiam adnitentibus Pontificibus) Boreales ventos liberius excipiunt, iisque spatiandi quaquaversum, discurrendique potestatem impertiuntur; immo verò, excisâ, ut aliàs <sup>a</sup> memoravimus, per Sextum V. sylvâ, quæ prædonibus quidem asylum exhibebat, sed ad Septentrionalium ventorum incursus validi aggeris instar objecta erat; nunc ejusmodi flaminum, cum Romam appellunt,

*Romanorum corpora poris hiantibus laxiora, et quare.*

*Cur id temporis Aquilonares venti Urbis infestiores sint,*

<sup>a</sup> Par. 2. Dissert. cap. 3.

nec impetum retundit, nec advectas immodi ci  
nitri particulas coërcet, aut debilitat.

*Mala à nitrofis  
effluviis orta.*

IV. His igitur nitrosis effluviis, cum Borea, vel nive copiosius, ac pertinaciüs ad nos affluen-  
tibus, simul etiam majori ambientis aëris pres-  
fione romanorum corporum transpiratio impedi-  
tur. Quamobrem lympha, apud illas præsertim  
partes, quæ immediato atmospheræ contactu pul-  
santur, subsistit, & cogitur; unde epidemici na-  
scuntur morbi, quorum prodromi plerunque sunt  
coryzæ, eæque admodum fraudulentæ, cum mi-  
nimo negocio in anginas, ac peripneumonias fo-  
leant concedere.

*Duplici potissi-  
mum ratione al-  
gide constitutio-  
nes Populum Ro-  
manum vexant.*

*Vel levius, &  
quando.*

*Vel gravius, &  
quando.*

V. Illud postremò nequaquam prætermit-  
tendum ducimus, algidas nimirum constitutiones  
non uno, eodemque semper modo, sed dupli-  
potissimum ratione Populum Romanum divexa-  
re solitas; alterâ, cum mediâ hyeme, siccо fo-  
lo, purgatis cloacis, viarumque immunditiis, tan-  
dem nullâ urgente annonæ caritate, cives bonis  
succis abundant; & tunc profectò confluentes  
rheumaticæ passiones, acutæ quidem, non verò  
malignæ sunt, ac proindè sanguinis missione non  
infeliciter curantur: alterâ verò, cum vere  
exeunte, aut, quod gravius est, per æstatis initia,  
postquam diù Austri flaverint, pluviæque decide-  
rint, neglectâ viarum, cloacarumque curâ, &  
præsertim invalescente fructuum copiâ, simulque  
uti-

utilium ciborum penuriâ, plebejorum præcipue corpora cacochyma fiunt, seu pravis humoribus una cum lumbricis scatent; in qua sanè constitutione, ut plerunque malignæ vagantur pleuritides, ita discriminis plurimum habet venam incidere. Quam in rem legantur Ettmullerus<sup>b</sup>, Bonetus<sup>c</sup>, sed præ cæteris Guillelmus Ballonius<sup>d</sup>, & Fabritius Bartolettus<sup>e</sup>, qui in ejusmodi complicatis, spuriisque inflammationibus cane pejus, & angue oderunt phlebotomi lanceolam. Uſus potius erit, experimentis probatus, potionum dia-phoreticarum, & alexipharmacarum, oleorum recentium amygd. dulc. & lini cum antipleuriticis, & vermicidis. Juvabunt quoque vesicantia, ac, si dolor lateris nullis anodinis, immò nec alexiteriis topicis ex oleo præsertim Matthioli paratis, cefserit, admotæ parti laboranti cum scarificatione cucurbitulæ.

VI. Quanquam verò nos ejusmodi à summo frigore ortas constitutiones pluries decursu annorum quinque & triginta Romæ viderimus; nihilominus tamen, cum nulla gravior nobis obtigerit eā, quæ universæ penè Europæ communis, sub hoc anno 1709. crudeliter afflixit; idcircò hujus historiam, tanquam omnium ideam, Lectorum oculis subjiciemus; exindè sperantes fore, ut non solùm Medici theoriam, praximque suas uberrimè possint haurire; verùm etiam Principes, & Ma-

<sup>b</sup> Tit.de Pleur.  
pag.287. c.1.

<sup>c</sup> Merc. comp.  
lib.14.tit.Pleur.  
n.9. pag.561.

<sup>d</sup> Lib. 1. Epid.  
pag.79.

<sup>e</sup> Meth.in Dyspnæam lib.5.cap.  
4. pag.455.

*Quæ fuerit gravissima ex intensio frigore produc̄ta Romæ constitutio.*

& Magistratus maxima documenta tum avertendis, tum corrigendis hisce malis ex Apostolicâ charitate, vigilantiâ, ac providentiâ Sanctissimi Domini Nostri CLEMENTIS XI. utiliter deducant.

Promiss fides liberatur.

VII. Promissum itaque exolvimus, scilicet Epidemiæ Historiam, quam inter ipsos morborum impetus Italico sermone, re tunc exigente, conscripsimus, nunc Latinam redditam, ut communi cum reliquo opere lingua cohæreat, non sine spe publicæ utilitatis, exhibemus. Nam, si quis nostras & priscorum conferat Epidemias, parres utrasque fuisse deprehendet; ut non sit dubitandum, quin posteri eadem mala, quæ nos patimur, experturi, nullamque rem aut in causis, aut in symptomatibus, aut in præsidiis, nisi tempus interesse judicaturi sint.



# E P I D E M I A R H E U M A T I C A,

Quæ cum acutis febribus Romæ  
pervagata est hyeme præsertim  
Anni MDCCIX.

*Una cum historia eorum, que  
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI*


# CLEMENTIS XI. PROVIDENTIA, ET VIGILANTIA

Ad morbi causas investigandas,  
emendandas, & avertendas  
gesta sunt.

*Ab eodem*

J O: M A R I A L A N C I S I O

Intimo Cubiculario, & Archiatro Pontificio, Proto-  
medico Generali, & in Romano Archilyceo  
Primam Medicinæ Practicæ Cathedram  
moderante descripta.



A M D I F E

E U M A T C A

Gas cura scutis 15 pippis Rome

bestas 15 pippis 15 pippis

Ann MDCCIX.

Gas cura scutis 15 pippis Rome

bestas 15 pippis 15 pippis

Ann MDCCIX.

C H E M E N T I S X I

P R O V I D E N T I A , E T V I G I L A N T I A

A d morti causas invigilans

causandas, & vacandas

scyta lata.

Ag 60d

I O : M A R Y A T A N C I S I O

Immo Cupidio, & A chimo Ponitico, Picto-

medico Caschi, & in Romano Antipylaco

Brunnii Medicinae Pragicae Cistepedem

modicane decubita.

Ag 60d

# HISTORIA

## ROMANÆ EPIDEMIÆ

*Constitutio tempestatum autumni, atque hyemis  
annorum M DCC VIII. ac M DCC IX.*

### C A P. I.



UONIAM ægritudines, quibus humana corpora conflantur, magnam partem ex temporum vicissitudine suboriri adverterat summus ille Medicæ Artis magister Hippocrates<sup>a</sup>; propterea, cùm aggrederetur ad morbos de-

scribendos, qui per Græciam ævo suo populariter vagabantur, semper insuetam vicinarum tempestatum conditionem, cursum, conversionemque præfatus est. Quem ducem<sup>b</sup> secuti Ballonius<sup>c</sup>, Petronius<sup>d</sup>, Cagnatus<sup>e</sup>, Sylvius<sup>f</sup>, Sydhenamus<sup>g</sup>, Ramazzinus<sup>b</sup>, aliquique magni nominis Medici, epidemicas temporum suorum habitudines accuratis observationibus explicaturi, insuetos eorum status, sive prævissent, sive etiam tum perdurarent, diligenter exponere non omi-

<sup>a</sup> 3. Aphor. 1.  
<sup>b</sup> Tempestatum  
<sup>c</sup> vicissitudines in  
<sup>d</sup> popularibus mor-  
<sup>e</sup> bis potissimum ob-  
<sup>f</sup> servandæ.

<sup>g</sup> Lib. 1. Epid.  
seçt. 2. lib. 2.  
seçt. 3. lib. 3.  
seçt. 3. lib. 6.  
seçt. 7.

<sup>c</sup> Sparsum in  
duob. lib. epid.  
& ephem.

<sup>d</sup> Lib. 1. de  
viect. Rom. c. 5.

<sup>e</sup> Rom. epid.  
cap. 3.

<sup>f</sup> Append. tra-  
ctat. 10. & in  
orat. caus. affect.  
epid.

<sup>g</sup> De morb. epi-  
dem. sparsim.

<sup>h</sup> De consist.  
epid. ann. 1690.  
& seq.

ferunt. Nos itaque tritam tantorum Virorum vestigiis viam, differendique rationem insistentes, illorum morborum causas, quos Romæ per hyemem anni MDCCIX. latissimè grassari vidimus, ab inusitatâ temporum qualitate repetendas duximus.

**I I.** Et sanè unicuique compertum est, inordinatas, ac morbidas aëris alterationes oriri non posse ab ordinatis, lenibus, placidisque tempestatum vicibus, quæ à Deo O. M. ad Universitatis conservationem, hominumque salutem mirificè consertæ, & comparatæ sunt. Cùm enim Sol æqualiter quotannis ad locorum verticem accedat, recedatque; æquabilia semper aëris temperamenta, alternantibus constanti varietate caloris, ac frigoris gradibus, produceret; nisi intercurrentes causæ statas anni temperies invertererent, atque turbarent. Naturalem autem temporum æquabilitatem interpellant (præter aspectum eorum planetarum, in quibus efficacitatem præ cæteris majorem ponunt Astronomi) partim terræ, partim stagnantium aquarum exhalationes, quas vel salubres venti non dissipaverint, vel adversi potius, noxiique convexerint; tum pluviæ vel uberiores, ac diurniores, vel pro tempore minimè decidentes, ac sæpè etiam nives, glaciesque siccae admodum, & pertinaces.

*Quæ causæ ordinatas tempestatem vices perturbent.*

**III.** Porrò autumnum anni MDCCVIII. mitem

tem adeò, calidumque experti sumus, ut producta veluti æstas, non Romæ modò, perque omnem Italiam, sed per Brabantiam quoque, & Belgium, videretur; itaut nihilo segniùs militares operæ urgerentur; cujus rei argumento sunt celebri obsidione expugnatæ Insulæ, vulgo *Lilla*, autumno serè exeunte, atque hyeme impendente.

*Autumnū anni  
1708. productam  
veluti æstatem  
experti sumus.*

IV. Ex ea clementissimæ tempestatis blanditie repente in rigidissimam hyemem desiluimus, quâ certè rigidiorem nullam suâ memoriâ contigisse senes<sup>i</sup> nostri affirmabant, suadebantque testimonia thermometrorum. Latè enim totâ Europâ, ac Romæ præsertim ab exitu Decembris anni M D C C V I I. ad medium usque Februarium M D C C I X. obstinatas glacies, siccasque nives, fævissimos boreas, durissimaque frigora sensimus; tametsi duobus, aut etiam tribus ineuntis Februarii diebus austri flaverint, quos ad vigesimum ejusdem mensis diem revisimus; sed Zephyro vicissim, boreaque alternantibus, pluviaisque comitantibus, nive non satis solutâ permixtis. Obriguerunt eâ frigoris vi plurimi mortalium enceti, & pascua, oleæ, arboresque aliæ passim exaruerere. Hunc temporis cursum ad septimum usque, & vigesimum Februarii diem diligenter animadvertisimus. Quæ deinceps Martii mensis indoles, quæque secuta usque ad Junium fuerit, dabitus inferiùs.

*Hiems rigidissima extemplo  
successit.*

<sup>i</sup> Vide Ramazz.  
in sua orat. 9.  
cui tit. Hyemal  
lis constitutio  
algidissima anni  
1709.

*Qui morbi, qualesque, qua in regione L'rbis  
minus, & per quem sexum, ordinemque  
hominum magis vagati sint, que  
tandem in cadaveribus præ-  
cipue obseruatæ  
fuerint.*

## C A P. I I.

*Pectoris morbi.*

INC epidemic pectoris morbi, Romæ præsertim emer-  
serunt. Principio coryzæ, &  
rheumata cum modica tussi  
invaferunt; qui morbus vul-  
gari nomine *castronis* dictus  
est, ut seculo etiam xvi.  
& xvii. testibus Cagna-

<sup>a</sup> De sal. Rom. to <sup>a</sup>, & Dono <sup>b</sup> nuncupatus fuerat. Sed, frigo-  
ær pag. 22. ribus minimè remittentibus, ingravescere epide-  
<sup>b</sup> De rest. sal. mia occœpit ad finem Januarii. Etenim sœvire pe-  
Agri Romani pag. 16. toris dolores, anginam, pleuritidem, veramque  
gravium gravius. peripneumoniam vidimus; si qui præsertim, ne-  
glectâ simplici tussi, à consuetâ vitæ intemperantiâ  
non recessissent.

*Eorum processus.*

II. Ægrotos totius corporis laßitudo pri-  
mùm, tūm febris cum rigore, mox vagus in pe-  
ctore, infra, supraque dolor, assiduâ tussi, & ini-  
tio

tio quidem siccâ comitante, invadebat. Duros pulsus, flammeas urinas, atque interdùm turbidas observabamus; nec mora sanguinis sputum subibat, ac respirandi facultas magis intercludebatur. Tùm rubore genæ, ac flavus toto corpore, icteritiæ similis, suffusus color.

III. In magnâ ægrotantium frequentiâ carceres, ædesque S. Inquisitionis nullo morbo tentatæ sunt; aëre nimirùm è vicinis fornacibus tepefacto, locique situ ab aquilonibus tuto.

IV. Pauciores viris mulieres epidemicis illis inflammationibus, & febribus correptæ. Ex mulieribus pauciores ægrotaverunt.

In nobilibus etiam, atque opulentis viris, qui cavere sibi à frigore poterant, haud sanè multi morbum, aut mortem saltem subiere; quanquam plurimi & corryzam experti, & raucedinem, & externum quendam pectoris dolorem, cum levibus rheumaticarum febrium accessionibus. Incautos verò, & tenuiores ex plebe homines quamplurimos popularis morbus extinxit; præsertim quos repetita ægritudinis inclemens, postquam convaluerant, rursus invasit.

V. Plerique ægrotationi, & periculo erepti sunt, aut sudore, aut narium hæmorrhagiâ, aut alvi fluxu, aut copiosis urinis, aut simul omnibus his evacuationibus opitulantibus, comitante utplurimùm sputo concocto. Sæpè etiam sine sputi coctione pectoris dolores, febresque pellebantur.

Ædes S. Inquisitionis ab epidemia immunes, & quare.

Ex mulieribus pauciores ægrotaverunt.

Incauti, & tenuiores homines morbo perempti.

Quibus evacuationibus ægri convalescuerint.

Dif-

*Fluida ad pul-  
mones potissimum  
stagnantia ægros  
extinguebant.*

VI. Dissectis autem cadaveribus præcordia rubentia usque ad diaphragma, & nigricantia sanguine coacto, inque magnis cordis vasis polyposo, inspecta sunt; unde nullus dubitandi locus reliquus fuit, quin ægri perimerentur ex fluidis ad pulmones potissimum stagnantibus.

*Quæ adhibita à Beatisimo Patre publicæ  
incolumitatis præsidia.*

C A P. III.



ON sine Divino Numine factum est, ut hæc Populi Romani incommoda in ejus Pontificis tempora incidence rent, qui, cum infractum animi robur tam in sacris, quam in civilibus rebus omnibus præstitisset, maximam charitatem in subiectis suis ab aëris inclemencia tuendis, atque à communi morbo vindicandis, adhibuit. Itaque mirum est, quantâ sollicitudine diu, noctuque exercitus, nihil ad Civium valetudinem protegendarum prætermiserit; quæ quidem ad posteritatis eruditionem, ac Principum incitamentum, præfertim verò ad lucem nostræ dissertationi aspergendarum, atque historiæ ordinem retinendum, subjicienda existimamus.

*SS. Pontificis cle-  
menzia, & solli-  
citudo.*

SE-

## S E C T I O I.

*Mandatum de Urbe à sordibus  
expurgandâ.*

J Am tum ab initio Februarii , cum ingraue-  
sceret epidemia , veritus fueram , ne in morti-  
feram naturam cederent pectoris inflammationes ;  
eo quod , properè habito militum delectu ad tuen-  
dam Urbem ab externis armis , quod tunc tem-  
poris ratio postulabat , eorumque stationibus per  
diversa Romæ loca dispositis , fimo , & sordibus  
ultra modum inquinatæ essent viæ . Cùm verò  
aliàs experti essemus , lethiferos morbos emersisse ,  
si quando per hyemem compita , viæ , cloacæ ,  
cellæque vinariæ sordibus redundaverint , ac dein-  
ceps hyberna frigora subitus , & diuturnus æstus  
exceperit ; propterea , ne officio deessem , Sanctissimum  
Patrem impendentis periculi certiore  
feci , qui statim pro consuetâ publicæ salutis  
curâ , fordescientia loca purganda matu-  
rissimè jussit , cuius Edictum \*

*Cur solito sordi-  
diores essent Ur-  
bis viæ.*

XXVII

\* *Vide Summa-  
rium lit. A.*

## SECTIO III.

*De relaxando quadragesimali ciborum  
delectu disceptatur.*

**P**RÆTEREA, cum plerique increbrescentem ægrotantium, ac decedentium numerum intuentes existimarent, falsamenta insalubria, & olerum penuriam quadragesimali tempore pauperibus, egenisque Civibus maximo detimento futura, idcirco Sanctissimus Pater Congregacionem habendam apud Eminentissimum Cardinalem Carpineum Sanctitatis Suæ Vicarium designavit, ubi de ciborum delectu, vel retinendo, vel relaxando disceptaretur. Igitur xv. kalendas Martias ad Eminentissimum Carpineum convenere. Illustrissimi Præfules Archiepiscopus de Zaulis Vicesgerens, & Bichius Annonæ Præfectus, Reverendissimus Pater Commissarius Sanctæ Inquisitionis, ac DD. Doctores Lucas Thomasinus, Protomedicus generalis, & Joannes Baptista Fosfombronus ejusdem Eminentissimi Domini Medicus: mecum denique Dñus Canonicus Cuggiò à Secretis.

*Cur carnium usus  
concedendus vi-  
jus sit uonnullis.*

II. Concedendum carnium usum nonnulli censuere, eo quod sales acres, in quibus tota vis erat epidemiæ, faciliùs diluerentur carnium jure, quam

quam lacticiniis, ovisque, quorum, sicut & oleum, immodicus hyemis rigor summam caritatem fecerat. Verum de solo lacticiniorum usu Sanctissimo Patri supplicandum placuit; tum quod morbus extra Quadragesimam ortus, bacchanalibus maximè diebus increvisset; tum etiam, quod Romanam Ecclesiam, cunctarum magistrorum, magnoperè deceret, ut avitæ observacionis, & abstinentiæ, vel inter ipsos morborum impetus, & mortis discrimina, exemplum cæteris exhiberet. Itaque Edictum\* manavit iis

*Quæ rationes lacticiniorum duntur taxat usum sua serint.*

ex causis expressum, quæ aditum ejusmodi imposterum graviter intercluderent potius, quam aperrirent.

\* *Vide Summ. lib. B.*



*Congregatio in ædibus Eminentissimi Cardinalis  
Marescotti habita ad naturam, causas,  
& remedia confluentium morborum  
investiganda.*

## C A P. I V.



*Sanctitatis Sua  
sollicitudo.*

UNIAM epidemici morbi non eâdem celeritate, quâ increbuerint, declinare, & desinere confueverunt; quamquam tempus flantibus Austris mitescere cœpisset, & gratiâ ciborum factâ aliquam in ea publicæ salutis spem posuissemus; nihilò tamen minus sæviebat adhuc epidemia. Itaque Sanctitas Sua, quo territos subjectorum animos à periculo, metuque reficeret, neque ullum omitteret paternæ charitatis experimentum, id mihi mandatum dedit, ut ad Eminentissimum Cardinalem Marescottum perferrem (nam Eminentissimus Spinula Camerarius, cuius id munus erat, confluenti pleuritide laborabat) optare Sanctitatem Suam, ut, habito peritorum conventu, collatisque consiliis, de morbi naturâ, deque impendendâ propulsandis malis curâ quereretur. Cum autem Eminentissimus Dominus Pon-

Pontificiæ providentiæ sine cunctatione obsequi  
cuperet, Congregatio in hæc verba indicta est:

Erit Congregatio de mandato Sanctissimi  
mi Domini Nostri in ædibus Eminen-  
tissimi, & Reverendiss. Domini Car-  
dinalis Marescotti die xxii. Februarii  
hora xxii. super examine morborum  
nunc Romæ confluentium cum in-  
terventu

R. P. D. GEORGII <i>Spinulae</i> Præceptoris S. Spiritus.	<i>Quinam in con- silio adhibiti.</i>
D. GASPARIS <i>Orighi</i>	
D. JULIANI <i>Capranicae</i>	Custodum Archihospit. S. Sal-
D. TIBERII <i>Cencii</i>	vatoris ad Lateranum.
D. PHILIPPI <i>Patritii</i>	
D. LUCÆ <i>Thomassini</i> Protomedici Generalis.	
D. JOANNIS <i>Trulli</i>	Duorum Consiliariorum Pro-
D. JACOBI <i>Sinibaldi</i>	
D. ANGELI <i>Modii</i>	
D. JOANNIS BAPTISTÆ <i>Fossumbronii</i>	Trium Medicorum Archihospitalis S. Spiritus.
D. GASPARIS <i>Realis</i> , tanquam	
Coadjutoris D. MICHAELIS AN-	
GELI <i>Paoli</i> , qui tunc Româ	
aberat	
D. ANTONII <i>Pacchioni</i> Medici Archihospit. S. Salvatoris.	
R. P. D. <i>Lancisi</i> Archiatri Sanctissimi, & particularis	
hujus Congregationis Secretarii.	

*Cur bi potissimum  
arcessisti.*

II. Hos præ cæteris accire, & in consilium adhibere placuit, utpote qui vel Nosocomiis præpositi, vel in iisdem Medicinam facientes, partim victum, & œconomiam ægrotantium, partim multitudinem eorundem, & epidemiæ qualitatem penitus nossent, & maturius explorassent.

III. Cum ad diem cuncti adessent, Eminentissimus Marescottus de Sanctissimi Patris mente, & communis incolumitatis studio præfatus est: propterea mihi à Sanctitate Sua imperatum, ait, ut, quò singulorum consilia spectare potissimum deberent, exponerem. Imperata proindè facturus in hanc sententiam differui.

## SECTIO PRIMA.

### AUCTORIS SENTENTIA.

*De natura, causis, & remediis epidemicæ.*

**C**um diuturnæ epidemicæ pertinaciâ, & consternatione, miseriâque subditorum suorum Princeps Clementissimus summoperè angatur, cumque in omnes hactenus partes animi sui sollicitudinem versaverit, id demùm optimum factum ratus est, ut Eminentissimus Cardinalis Marescottus vos Viros sapientissimos, & peritis-

simos

simos arcesseret, atque hodiernæ Congregationi interesse non gravaretur; in quâ pro se quisque in medium afferret, ecquid de grassantis morbi naturâ, causisque sentiret; tum quibus remediis, consiliis, studiis, cautionibus saluti publicæ propici possit. Et quoniam nihil misericordiâ in pauperes antiquius habet Sanctissimus Pater, interesse etiam voluit Illusterrimum Præfulem Spinulam, Commendatarium S. Spiritus, atque Illusterrimos Custodes Nosocomii S. Salvatoris, ut si quid è re futurum, & in utilitatem, commodumque cessurum ægrotantibus pauperibus censerent, audito Medicorum judicio proponerent, atque proferrent. Cum verò disquirendarum rerum cura jussu Sanctissimi Patris mihi potissimum demandata sit, pro officio facturus mihi videor, si quatuor in capita earum summam dispertiar, & graviissimis sententiis vestris discutienda producam. Primò, quæ germana sit vagantis epidemiæ idea, atque natura.

*Argumenti divisio.*

II. Secundò, quibus illa è causis existat; an ea in solâ, & communi, quæ latissimè pervasit, aëris intemperie, an verò in maligno aliquo, & proprio Romani cœli fermento ponenda sit.

III. Tertiò, quid conjecturis, & prognosticis augurari animo liceat, utrum appetente æquinoctio sedanda, an potius, quod Deus avertat, in morbos graviores evasura.

Quar-

IV. Quartò, quibus remediis, quâve curâ utendum sit, non solum reparandæ ægrotantium valetudini, sed servandis iis, quos nullus hactenus morbus afflixit.

V. Quatripartitæ huic inquisitioni, ut ipse aditum, viamque muniam, non ea repetam, quæ vobis Medicinæ Professoribus eximiis, & ægrotos quamplurimos quotidiè invisentibus, sunt compertissima, quippe qui symptomata, hanc epidemiam præcurrentia, comitantia, & subsequentia, diligenter explorastis. Itaque

#### EXAMEN CAPITIS PRIMI

aggregiens ajo, præsentem morbum esse epidemicum, unum scilicet, eundemque nec per Urbem solum, atque Italiam, sed per totam ferè Europam, sicut accepimus, populariter vagantem.

VI. Est autem is morbus genere quidem rheumaticus, sed qui, cum plerunque in rheuma-ta completa faceat, alienam speciem, ac natu-ram induere videtur, proindeque nonnullis dolofus ex parte dicitur. Enimverò, modò à simpli-ci pectoris dolore sine febre, modò à solâ cory-zâ cum tussi ducit initium; at in quibus noxii humores collecti latent, aut levi malo decum-bentes valetudinem incuriosius habent, brevi in acutas febres commutatur; quibus accedunt nunc faucium, & laryngis, nunc pleuræ, externæque pulmonum partis, nunc denique omnium præ-

*Quæ fit natura,  
bujus morbi epi-  
demici.*

cor-

cordiorum inflammations. Unde liquidò constat, in præsenti epidemiâ febrem morbum esse præcipuum, cuius symptomata sunt ejusmodi inflammations. Etenim in ægris non solum rubentes urinæ, atque interdum turbidæ sunt, sed paroxysmi quoque statim recurrent periodis, & iis præfertim desinunt crisibus, quæ in acutis febribus, quas scholæ appellant *essentiales*, solent accidere.

VII. Et quoniam iisdem faucium, pectorisque symptomatibus omnes, qui hoc tempore ægrotant, laborare videmus, compertum vobis esse opinor, veram hanc esse epidemiam, cuius ea est natura, ut unus, idemque morbus ægrotantes populariter corripiat. Discriminis aliquid, non inficior, in tantâ morbi sævitie observatum est; nam plerique solâ coryzâ cum raucedine, tussique modicâ vexati sunt; alii acutâ febri, pectoris inflammatione accedente, quorum dissectis in cadaveribus rubra præcordia, & sphacelo tentata apparuerunt: hæ tamen differentiæ non causarum diversitatem innuunt; sed affectos diversos corporum locos ab eadem causâ pro diversâ eorum habitudine vehementius, aut remissius agente. Hinc factum est, ut homines firmâ valetudine, rectâque viëtus ratione utentes, atque ab aëris inclemenciâ protecti, tutos sese ab omni præsentium malorum incursu præstiterint; cum

*Qui sit morbus  
præcipuus, que  
symptomata.*

*Quæ diversitas  
in hac epidemia  
sit observata, &  
unde orta sit.*

con-

contra egenis, rusticisque Nosocomia redundant, quibus neque opes, neque consilia ad morbum propulsandum plerunque præsto fuerunt, & quorum calamitas alienæ quoque incuriæ accessione cumulatur; vix enim quarto, aut quinto, aut etiam sexto, quàm decubuerint, die, in Valetudinaria, hoc est, sepeliendi potius, quàm curandi inferuntur. Venio nunc ad

## INQUISITIONEM CAPITIS SECUNDI.

VIII. Porrò epidemiæ hujus causas explanatus, quas falsas censeo, præterire, quàm refutare satiùs puto. Etenim sine operæ pretio, immò cum erroris periculo verisimilitudinis speciem securari non licet, ubi cum ratione auctoritas, cum auctoritate experimenta convenient. Causam igitur epidemiæ (ut ab externâ incipiamus) neque unam, neque simplicem illam existimo, sed mixtam ex insuetis superioris autumni, & præsentis hyemis viribus, atque effectis potissimum coalescentem.

*Explicatur.*

*Quid præsterit  
autumni clemen-  
tia.*

IX. Continenti illâ autumni clementiâ, quæ productam æstatem præsttit nullis pluviarum, frigorumque vicibus, volatiles, igneique aëris fatus dilui, ac temperari potuerunt, præsertim qui nostrorum corporum liquidis permiscentur, ac potissimum bili, quæ per æstum plus nimio incan-

de-

descit. Hinc collectus extitit pravorum humorum apparatus in iis, qui vel à naturâ imbecilliores, vel incautiores, vietu salubri, aptoque succos exaltatos frangere, & emendare nesciverunt: quamobrem interna causa sensim colligi, ac præparari cœpit.

X. Subitus deinde rigor hyemis ineuntis, siccæ plurimùm, & nivosæ, duos, apud illos præsertim, qui minus firmâ erant valetudine, effectus edidit. Nam & transpirationem tam externam cutis, sive universalem, quâm internam, sive particularem oris, narium, faucium, & pulmonum violenter interclusit, & vi frigoris, ac venti prementis, urgentisque extraneos sales affatim infudit, qui sicubi rigidiori, ut nobis accidit, aëri misceantur, nitrosi, & subacidi ab experimentalibus philosophis censentur. Quare, quemadmodum sales volatiles urinosi, igneique, proximo autumno minimè temperati, atque ob interclusam transpirationem in sanguine detenti, salibusque nitrofisis ab aëre infusis admixti, facile diversas febres pro diverso humorum apparatu invexerunt; ita simplex atmosphæræ sal acidum lympham stagnare coëgit, iis præsertim in locis, quæ immediato aëris contactu apud homines vel corpore minus tectos, vel non satis valetudine firmos, maximè patebant; quamobrem in organis succutaneis lassitudines intulit, atque in superficie in-

*Quid rigor hyemis algidissima.*

ternâ narium , faucium , ac pulmonum , scilicet secundùm locorum varietatem , modò solas coryzas , raucedines , ac tusses , modò pleuritides etiam , atque peripneumonias induxit .

XI. Qui autem rem chymicam , & anatomicam mediocriter versaverit , non mirabitur , quod ab uno , eodemque nitroſi ſalis principio tanta diverſorum , ne dicam , contrariorum effeſtuum varietas oriatur , nervorum videlicet punctiones , ſanguinis perturbationes , & lymphæ stagnationes . Non enim ignorat , nitrum maximè aptum eſſe ad penetrandam fibrarum , nervorumque texturam , ad excitandam cum ſulphureis particulis effervescentiam , atque ad coagulandos aqueos humores , ex quibus ferè tota ſanguinis moles coalescit . Itaque ſal ejusmodi nitroſum , partim nivibus identidem decidentibus , partim ventis à Septentrione flantibus , ad nos advectum , primū irritare , & constringere valuit internam , nerveamque ſuperficiem meatuum narium , faucium , ac pulmonis , unde transpiratio præpedita ; tum coagulare lympham minimarum glandularum , quibus iidem meatus stipantur , ſimulque præternaturalem fermentationem edere potuit cum volatilibus ſalibus , & ſulphureis ſanguinis partibus , quæ per æstatem plus nimio exaltatæ , ſubito rigentiffimæ hyemis algore compressæ fuerunt . Quapropter non ſolum ortæ ſunt omnes rheumaticæ affe-

*Quo pacto diver-  
ſi effeſtus ab uno  
ſale nitroſo na-  
ſcantur.*

*Eius vires in pre-  
ſenti epidemia.*

*Unde transpira-  
tio præpedita.*

affectiones, verùm etiam in corporibus nec validis, nec tutis, acutæ febres cum croceis urinis, & icterico ferè habitu sese interdum prodente.

XII. Quoniam verò qui liberaliùs nutriti, & ambientis aëris algori minus objecti sunt, veluti mulieres, virique honestiores, & prudentiores, minorem externorum salium copiam imbiberunt, minusque diminutam transpirationem habuerunt; idcirco, aut ab omni penitus morborum incursu immunes fuere, aut levissimos passi sunt. Quo pacto apud Hippocratem <sup>a</sup> legimus in algidâ quādam constitutione sexum muliebrem à communi morbo fuisse exemptum: *Cæterum mulieres non similiter à tussi afflictæ sunt, verùm paucæ febricitarunt, & ex iis valde paucæ ad peripneumonicam affectionem devenerunt: cuius addit rationem: causabat autem hoc fieri, eo quod non similiter, velut viri, prodierunt.* Contra verò plebs egena, nec vestibus satis protecta, nec ignibus, aliisque subsidiis adversus frigoris inclemantium instructa, cum sub dio laboribus perfungi debuerit, aërisque rigiditati sub aperto cœlo patuerit, gravius, & sævius afflicta est. Hinc milites ad Centum Cellas novis vestibus induti, nulla epidemiæ damna senserunt; cum cæteri, detritis, & obsoletis contecti, veluti armis contra impetum frigoris minus aptis, decumbant, & plurimi intereant. Simile quid evenisse etiam Ro-

*Cur homines cau-  
tiores, & mulieres  
minus vexati.*

*a 6. Epid. sec. 7.*

*Pauperes gravius  
morbo tentati.*

mæ suis temporibus narrat his verbis Jo: Ba-  
b Loc.cit. pag. 16. ptista Donus <sup>b</sup>: *Morbus, quem ridiculo nomine  
*castronem* vocant, multos ex debilioribus, eisque,  
*qui non satis obiecti incederent, afflixit, vel in-  
teremit.* Ad carceres verò S. Inquisitionis, tepe-  
ti loco, & ab Aquilonibus tuto positos, epide-  
mia nondum accessit.*

*Hippocratis locus  
insignis.*

XIII. Neminem profectò vestrum non re-  
cordari opinor præclaras Hippocratis sententias,  
& observationes, quibus liquet, morbos hujus ge-  
neris communes incurrere ubicunque intensissima  
urgent frigora, & Aquilones vehementiores.  
Est enim verò vulgatus, quām ut ignorari possit,  
c 3.Aphor.5. quod scripsit <sup>c</sup>: *si aquilonia sit tempestas, tusses  
vigent, faucium asperitates, alvi dure, horro-  
res, costarum dolores, & pectoris.* Et nostræ  
d Lib. 6. Epid. sec. 8. epidemia similior <sup>d</sup>, quām ut possit omitti: *Ex  
frequenti australium, & aquilonarium, ac ni-  
vofarum transmutatione multæ peripneumonice  
affectiones.* Et inferiùs: *aliquibus autem fauces  
inflammatae sunt, quibusdam anginæ obortæ.*

XIV. Romam verò quod spectat, multò gra-  
viorem rheumaticam epidemiam descripsit Cagna-  
e De Sal. Rom. Aer. pag. 21. tus <sup>e</sup>, cùm medicâ re celebris, tum insignis Ro-  
mani climatis observator: *Anno, inquit, 1570.  
byeme, & veris initio vis magna orta est pleu-  
ritidis, peripneumonie, & anginæ, quæ multa  
bominum millia utriusque sexus, & omnis æta-  
tis*

*tis interfecit, cum interim aquilonii flatus vis maxima, & assidue, & longo tempore irruisset.*

f Lib. 1. de vic.  
Rom. cap. 4.  
Calores, & frigora immoda semper Romæ periculosa.

*Quamobrem ritè advertit coævus Cagnato Petronius f calores æquè, & frigora immodica semper Romæ periculosa.*

XV. Quod autem nonnulli nimio timore perculti, sibi facile persuaserunt, maligni aliquid, atque etiam pestilentis huic epidemiæ subesse, ac proinde nonnisi à venefico principio, quod ambientem aërem inficiat, ortam esse, nullo pacto adduci possum, ut credam; cum in pestiferis morbis, & periclitentur ferè omnes, & decedant plurimi; ex nostratis verò nec plurimi ægrotent, & ægroti plurimi convalescant; præterquamquod ægrotantibus mirificè phlebotomia succurrit, nec exanthemata apparent, nec pulsus humiles, nec lipothymiæ, aut reliqua signa, quibus suspicari possimus, *inesse quid divini in morbis*, de quo Hippocratis & Commentatōres tantoperè digladian-  
z 2. Prognost.

tur. Quod si non raro contingat in hac epidemiâ delirium, illud oritur, vel ab impetu bilis, fallibus acribus, & sulphureis redundantis, quæ sanguini permixta ad caput appellit; vel ex inflammatione propagatâ ad diaphragma, ac nervos præcordiorum usque in cerebrum, quæ omnia non malignam, sed valdè acutam epidemiæ indolem ostendunt.

XVI. Neque idoneum argumentum morbi  
pe-

Nihil venefici in  
bac epidemia.

Deliria malignitatem non indicant.

*Neque multitudo  
plebeiorum dece-  
dientium.*

pestilentis est frequens imæ plebis interitus; nam, cum oppositum in nobilibus, cautisque hominibus accidat; nemo non videt, plebeiorum mortem pravo potius apparatui, seu pessimo eorum peculiari habitui, atque rerum omnium impotentiæ, quam universali venefico principio tribuendam. Sed jam

### AD TERTIUM DISPUTATIONIS CAPUT

*Conjecturæ de  
epidemiæ progres-  
su, exituque.*

quod proposueram, accedo, quid scilicet de futurâ morbi hujus conditione, progressu, exituque animo præsagire, aut conjectare liceat. Quâ in re primum omnium profiteor, argumentum summâ incertitudine laborare, quippè quod ab incertâ futurarum tempestatum qualitate maximè pendeat. Porrò, ut meritò timeamus transmutacionem hujusmodi morborum in aliam naturam, & fortassè deteriorem, satis est quod legimus apud Cagnatum <sup>b</sup>, ubi Romanam epidemiam, *Castronem* dictam, insalubrem æstatem excepisse narrat: *Anno nonagesimo tertio ætas insalubris, morbo prius populari accedente, ridiculo nomine Castronum; obortis tertianis, præsertim quas duplices vocant, quartanis, dysenteriis, fluoribus ventris, & acutis febribus; cui accedit, quod Londini Sydenhamius <sup>i</sup> observavit, anno 1665. post rigentissimam hyemem, & siccas glacies, ex im-*

<sup>b</sup> De Sal. Rom.  
act. pag. 23.

<sup>i</sup> De Morb. acut.  
sec. 2. cap. 1. con-  
stit. epidem. anni  
1665.

improviso solutas, emersisse pleuritides, peri-pneumonias, anginas cum magna populi clade, immo febres etiam continuas epidemicas, cephalalgiâ, vomitu, alisque fluxibus plerunque comitantibus; ac deinde anno 1666. ineunte, ipsa pestis, inquit, irrupit, carbunculis videlicet, bubonibus, &c. stipata.

XVII. Suspicionem autem apud nos vehementiorem faceret morbi transmutandi, atque in febres malignas concedendi, si viarum, cloacarum, fossarumque, & pratorum, & Arcis purgandarum cura, sœpius inculcata, & nunquam satis commendanda, negligeretur, præsertim Tiberi, quod Deus avertat, exundante; nam in fordibus illis, tempestate incalescente, fermentatio vitiosa excitaretur, quâ statim ambientis aëris lues induci posset.

XVIII. Inter hos tamen metus spe magnâ teneor, fore, ut fordibus Urbis eversis, & civium corporibus probè concrectis, ac nutritis, epidemia post æquinoctium proximum tandem concidat. Solis enim accessu ad verticem nostrum, calidæque lucis radiis ad nos rectâ magis evibratis, quemadmodum nives, glaciesque solutæ diffluunt, atque herbis campi, & floribus herbæ vestiuntur, ita humana corpora blando, ac subtilissimo igne replentur, quo sanguis novo motu cietur, ac solvit, atque aptior ad transpirationem efficitur, quam

*Metus ex Urbis  
fordibus.*

*Spes incolumenta-  
tis in fordibus e-  
verrendis.*

quam ego præcipuum urgentis epidemiæ remedium arbitror. Ita, nisi mea mihi ad blanditur opinio, penitus extinctum iri existimo morbi vim, propterea quod, hyberno rigore depulso, & exactâ hysmis inæqualitate, sales, qui morbum creavere, ab atmosphærâ dispellentur, partim recentibus pluviis diluti, partim adversis ventis emendati, agitati, & expulsi. Et de tempestatibus quidem huic nostræ similibus legimus apud Hippocratem<sup>k</sup>: *Hæc autem durabant, & non remittebant usque ad æquinoctium.*

XIX. Nec mirum cuiquam videri debet, quod per hosce etiam dies, liquatis nivibus, quiescente boreâ, & flantibus austris, pleuritides, & peripneumoniæ supersint. Nam, licet aquilones posuerint, adhuc tamen in corporibus nostris latet, & subsidet sal nitrosum, & subacidum, à ventis illis, & hyemali frigore infusum; cujus particulæ, cum apud nonnullos, contractis vasorum fibris, antea coërcitæ, atque ad obsequendum sanguinis cursum coactæ, vires suas exerere non potuerint, laxatis nunc per temporem tempestatis iisdem fibris, atque austrinæ flatibus solutæ, insinuantes se in thoracis loculos valent, ubi morbos edunt, quos experimur. Ad hoc accedit, austros, diuturnis aquilonibus extemplo subeuntes, non immerito dici posse aërem eundem, ipso nitro, quicum ad nos ab aquilone venit, atque in meridiem ef-

<sup>k</sup> Primo epid.  
const. 2. in Tha-  
fo n. 1.

*Cur silente aqui-  
lone etiam saeviat  
epidemia.*

effluxerat, refluente . Quare in tempestatibus hujus generis austere instar fraudulentí aquilonis est reputandus, eoque nocentior, quod, cum frigoris sensu minus incommodet, ab eo nobis ipsis quam minimè metuimus, & cavemus. Tandem ad curandi methodum, quam posuimus

## POSTREMI CAPITIS

argumentum accedo. Cum autem hæc scho-  
larum more in præservativam, & curativam  
dividatur, primam paucis absolvam; peritos  
enim alloquor Professores, quos minimè latet,  
acutas febres, & præsentes pectoris morbos  
haud esse malignos; ac propterea quisque fa-  
ciliùs declinare noverit ea pericula, quæ in  
epidemicis morbis initio curandis occurunt:  
qua in re Sydenhamius<sup>l</sup> candidè, ac liberè fate-  
tur, se omni animi contentione vix, ac ne vix  
quidem vitare potuisse, ne, dum sæviret epidemia,  
unus, aut alter eorum, qui se primi curandi  
commiserint, vitâ periclitaretur; donec investi-  
gato jugiter, tandemque perspecto morbi ingenio,  
ad eundem perdomandum recto pede, & intre-  
pidus denuò procederet.

XX. Primò sanguinis missionem, quantum  
animadvertere potui, præsertim ante quartum  
diem adhibitam, robustiores ægrotos juvare com-

E e peri;

*Qui primi epide-  
micis morbis la-  
borant, non sine  
periculo curan-  
tur.*

*l Sect. i. cap. 2.  
de morb. acut. in  
genere pag. 5.*

*Sanguinis misso  
robustioribus uti-  
lis.*

peri; tametsi sanguineum sputum præcesserit. Nam,  
 quanquam tali præeunte signo, magnus Hippo-  
m 7. Epid. n. 27. crates <sup>in</sup> Pisistrato à phlebotomia prudenter ab-  
 stinuerit, quoniam in illo morbus jam ad coctionem  
 tendebat, & sectâ alioquin venâ tum vires  
 aliquantum enervari, tum vel maximè anacathar-  
 sim remorari posse timuisset; nostrâ tamen in  
 epidemiâ sputum cruditatis, non autem coctionis  
 signa præfert; quinimo acrimoniam, nitrum-  
 que motum fermè testatur, non tam universalis  
 fluidi, febrili orgasmo summoperè agitati, quâm  
 particularis illius, quod pulmonum vasa didu-  
 cit, atque erodit. Econverso venarum sectio  
 admodum læsit imbecilliores, sæpius verò post  
 septimum, si sputum satis concoctum fuerit, vel  
 aliæ obortæ evacuationes, quibus bona crisis con-  
 stituitur. Propterea in præsenti epidemiâ consi-  
 lium, ut ajunt, in arenâ semper capiendum esse  
 arbitror; quoniam vel modica sanguinis missio  
 interdum detimento esse potest, cum larga alio-  
 quin sæpe satis non sit; alias vero salvatellæ tan-  
 tummodo sectio curam absolvet, vel sanguis è  
 dolenti latere, scarificatis cucubiculis extractus;  
 ut in nonnullis feliciter evenisse observatum est.

XXI. Deindè verò illud meâ sententiâ pro  
 comperto habendum, pleuritides, quæ hoc anni  
 tempore vagantur, cum primis diebus siccæ sint,  
 non modò fomenta, & emollientes unctiones ex-  
 pe-

*Imbecillioribus  
adversa.*

petere, sed ulterius locum facere probato Hippocratis <sup>n</sup> experimento in hujuscemodi pleuritidibus, ac peripneumoniis, nil supra largas potiones commendantis. *Sunt siccæ, inquit, pleuritides sine sputo; verùm hæ difficiliores sunt; judicationes autem similes aliis sunt, sed ampliore in potu humectatione opus habent, quàm aliæ.* Specifica igitur omnia, quæ in pleuritide, ac peripneumoniâ ex hircino sanguine, rasura dentis apri, & mandibula pifc. luc. necnon ex stib. diaph. ex infusione lapidis histricis, aut stercoris equini petita sunt, ac magnoperè laudantur, oleosis semper diluentibus, ac emollientibus, copiosis, & calidis adjungenda sunt, ut morbi causæ resistere valeant, quæ, uti diximus, tam internis salibus volatilibus est mixta, quàm externis nitrosis ab aëre infusionis, qui præter fluidorum coagulationem, nimiam inducunt canarium duritiem, ab Hippocrate <sup>o</sup> sapienter animadversam, cum de modo, quo pectoris morbi gignuntur, sermonem haberet, & alibi cum de vasorum disruptione dissereret, cui obnoxii sunt plagarum septentrionalium habitatores, quorum cœli asperitas in algidis ejusmodi constitutionibus ad meridionales etiam incolas propagatur.

<sup>n</sup> 3. de morb. n.  
20. & 26.

Quæ specificæ  
adhibenda.

<sup>o</sup> Lib. 1. de mor-  
bis n. 27. & lib.  
de aer. loc. &  
aqu.

XXII. Præterea quanquam vesicantium usus raro in febribus, quas internæ comitantur inflammationes conduceat, eorum tamen jure meri-

Vesicantium usus  
non omnino vi-  
tandus.

<sup>p</sup> De Med. op.  
par. 2. sec. 3. cap.  
3. de ves.

<sup>q</sup> Juxta Duret.  
divis. in coac. de  
peripneum. nu.

<sup>22.</sup>  
<sup>Ex Hippocrate</sup>  
colligiur.

to meminisse oportet, cum, quotiescumque ægrotum corpora succi fuerint plena, vel in ejusmodi morbis humoris fervor lentescentiâ vincatur, phœnigmis etiam opportunus sit locus. Succurrit celebris Willisi <sup>p</sup>, qui inter ipsos recentiores ejusmodi remedii genus in pectoris quoque inflammationibus laudavit, Hippocrate <sup>q</sup> facem postoris præferente; scribit enim: *quibus ex peripneumonia sub auribus, vel inferis partibus nascuntur abscessus, ibique suppurant, & fistulantur, hi defunguntur morbo:* de quibus abscessibus age-re pergit n. 24. & 25. quos profectò decubitus admodum salutares currenti anni tempore obser-vavimus in duobus ægrotis subpingui corporis habitu, qui citò ex peripneumoniâ convaluerunt, quia cruris, quod affecto lateri respondebat, dolore, rubore, atque intumescentiâ correpti fuerunt.

XXIII. Deinceps periti Medici erit, cui ægrotum cura mandata est, decernere, an interdum, præter emollientium clysterum usum, alvus etiam blandis potionibus laxanda sit; cum expertus fuerim, corpora pravis alimentis nutrita, vel aliâ de causâ noxiis humoribus onerata, si descendant pleuritide corripiantur, moderato alvi fluxu aliquando levari; quod & ante nos magnus Hippocrates <sup>r</sup> advertit. Si verò id faciendi detur occasio, nihil aptius judico, quam oleum amygd. dulcium absque igne recens extractum, una cum

<sup>r</sup> 3. de morb. n.  
22. & de vift.  
rat. in morb. 2-  
cut. n. 1.

sy-

syrupo violarum colorato, hisque similia admodum blandè laxantia. Purgantia verò, et si mediocrium virium, vitaverim semper, quippe quæ sanguinem non modò ita fero emungunt, ut mox necessariâ fluiditate destituatur, sed etiam novis particulis acribus, & irritantibus infaciunt, quibus facilè convulsiones, & deliria excitantur, ut ad rem in *Scompho* notavit Hippocrates<sup>5.epid.n.1.</sup>, qui *pleuritide correptus pharmacum bibt infra purgans, & cum priore ante potionem die mentis compos effet, purgatus deliravit, & septimā mortuus est.*

XXIV. At longiorem de curâ ægrotis adhibendâ sermonem instituens, quid ego aliud quam *Noctuas Athenas*, ut ajunt, affero? cum vos alloquar illustres Medicos, quos & præclara excoluit eruditio, & accurata tum propria, tum aliena edocuit experientia. Ad methodum igitur præservativam descendam, quâ in re Romanos Cives monendos habeo, ne epidemia ulteriùs progrederiatur, neve in deteriorem morbum declinet:

XXV. Primò Urbis viis, compitis, cloacis, ac fossis expurgandis, ob eam, quam adduximus rationem, sedulò, assiduèque studendum.

XXVI. Secundò certiores, præsertim pau-  
res reddendos, algoris tolerantiam, frigidum po-  
tum, crassiorum ciborum, salinorumque abusum,  
Quid in atendo,  
& tegendo corporis  
re servandum.

& no-

Blandè laxantia  
utiliter; purgan-  
tia perniciösè ad-  
bibentur.

*Methodus præser-  
vativa.*

*Sordes abstegen-  
d.e.*

& nocturnas, incautasque deambulationes maximum detrimentum afferre: contra verò luculentum caminum, copiosa vestimenta, calidum potum, parciorēmque, ac laudabilem ciborum usum ad præcavendos morbos admodum conferre.

**XXVII.** Tertiò ex rapis, pomisque juscularum, vel suauissimi vini matutinam sorbitonem multùm prodesse, quibus oleum amygdalarum dulcium, aut his similia laxantia, dulcificantia, atque bechyca interdum sunt admiscenda.

**XXVIII.** Quartò cavendum potissimum, ne Romæ ovorum, lacticiniorum, carniumque salubrium copia desit, neve pauperes, aut victus, aut ignis, aut aliarum rerum inopiâ laborent.

## S E C T I O   S E C U N D A.

### E P I T O M E

*Sententiarum Dominorum Medicorum, qui huic Congregationi interfuerunt.*

### P R I M U S

**D** Lucas Thomasinus, Protomedicus generalis adductam morbi causam probavit, rigorem videlicet tempestatis, pravamque corporum diathesin; & quoad curam præservativam ait:

Prī-

Primò oportere, ut ex agro Romano citissimè in Nosodochia ægroti transferantur.

Secundò, ut viis, & fossis expurgandis invigiletur.

Tertiò, ut carnium usus, vel minimâ necessitate cogente, privatim concedatur.

### SECUNDUS.

D. Joannes Trullius præsentem constitutionem neque novam, neque malignam affirmavit: non novam quidem ex eo, quod ab Hippocrate <sup>a</sup> in Thaso describatur concludendo, *duravit usque ad æquinoctium*. Immò, cum pleuritides, ac peripneumoniæ ab eodem Hippocrate <sup>b</sup> recenseantur inter morbos hybernos: *Hyeme verò morbi laterales, & pulmonis inflammations, tusses, dolores pectoris, laterum, lumborumque, &c.* à summi frigoris systemate minimè recessit, cum ex eo non transpiratio tantum intercipiatur, verùm nitrosæ aëris particulæ infundantur, quæ naturali sanguinis sulphuri cohaerentes mixtum quid, pyrio pulveri haud assimile, componunt.

Ad curam, sanguinis missionem, vel repetitis vicibus, necnon oleosa jurulenta, ac pectoralia summæ utilitatis se observasse significavit.

Ad præcavendos autem morbos.

Primò Urbis expurgationem commendavit, ne aér in dies incalescens folidibus infi-

ce-

ceretur, ideoque nova mala, eaque deteriora progniceret.

Secundò, domos igne calefaciendas esse duxit.

Tertiò carnis esum faciliùs indulgendum.

### T E R T I U S .

D. Angelus Modius, præsentem morbum ab excessu frigoris sicci, & nivosi processisse confirmavit.

In curâ præ cæteris fluidorum tepidorum, quæ sicco frigori totâ diametro opponuntur, aquæ præsertim hordei, cornu cervi, & consimilium copiam commendavit. Vesicantium usum removit, cum eadem similibus morbi causæ particulis componi existimaverit.

Inflammationum initio perutilem sanguinis missionem, se observasse; post sextum verò diem valdè periculosam iis, qui pravis alimentis vescuntur, quales frequenter sunt, qui se in Nosocomia recipiunt.

Vinum inter morbi incrementa detimento esse, fomenta, unctionesque adiumento.

Servandæ verò valetudini

Primò ignem conducere arbitratus est.

Secundò alimenta ex juribus, & oleosis fluidis proficia; ideoque se facillimè carnium usum indulturum.

Tertiò, vias necessariò expurgandas.

QUAR-

## QUARTUS.

Dominus Jacobus Sinibaldus ; præsentium morborum causam , interclusam transpirationem esse ostendit , ac nitroforum salium infusionem , qui duos inter se contrarios producunt effectus ; cum enim sulphuri sanguinis miscentur , effervescentiam ; contra verò , cum phlegmati adjunguntur , coagulum in eodem efficiunt .

Epidemiam , etiam austro flante , ideo persistere putavit , quod nostra corpora nitroſi ſaliſ copiâ jam ſint imbuta ; undè ventis australibus ſolutum ſal facilius defluit .

Morbum & ipſe neque malignum , neque contagiosum eſſe censuit .

Curandis ægris ſanguinis miſſionem proponuit , certo tamen tempore , pondere , atque mensurâ ; verūm , ſi ſputum facile prodeat , eam minimè probavit . Vesicantium uſum rejecit , quod cantharides respirationis diſſicultatem non tollant , immò irritando , eandem augere poſſint , & inflammationes .

Ad prophylaxim verò nil aliud proponuit , quām ſalubri viētus ratione ſervatā , à fri- gore potiſſimū ſibi cavere . Quamobrem iis , qui ex corporis diathesi , gracili nempe , & catarrhosā , ſunt in pectoris morbos procliviores , faciliūs hoc anno carnium , & jurium uſum ſe con- ceſſurum .

Dominus Fossombronius, cum præmisisset, se in aliâ Congregatione habitâ in ædibus Eminentissimi Dñi Cardinalis Vicarii, fusiùs de præsentis morbi naturâ, ac symptomatibus disseruisse; de præservativâ tantùm sermonem habuit, afferuitque vervecinæ carnis & vitulinæ, lacticiniorumque copiam, ut vili à pauperibus emi possint, esse comparandam.

Innuit deinde, immò enixè commendavit purgationem viarum.

SEXTUS.

Dominus Gaspar Realis in eadem fuit sententiâ, præsentem constitutionem epidemicam esse, minimè verò malignam, multòque minus contagiosam.

Ejus causam diuturnum, & contumax frigus asseveravit, mirumque non esse, si canaliculis austro laxatis, quidquid antea compressum una cum sanguine circumferebatur, suas indè vires exereret, ac pleuritides gigneret, tempestate quamvis mitiori.

Peculiarem singulis curandi methodum probavit, eam tamen præ cæteris, quæ largis oleosorum potationibus, opportunisque sanguinis missionibus faciliorem humorum exigit profluentiam. Vesicantia robustioribus in corporibus minimè repulit, Hippocratem imitatus, qui in pe-

pectoris morbis crurum abscessus commendavit.

Præservativam expetere dixit

Primò vestes.

Secundò ignem.

Tertiò ex carnibus, juribusque alimenta.

S E P T I M U S.

Dominus Antonius Pacchionus morbum epidemicum esse contendit, ortum nimirum ex aëris vitio, cuius operandi modum exposuit verbis illis Hippocratis: *Fluxiones & perfrigerata valde carne, & percalefacta fiunt, ac superinflammata, &c.* veritus tamen est, ne ob insolitas viarum fordes vere novo, in malignas febres mutaretur.

Ad eundem curandum phlebotomiam opportunam duxit, in illis duntaxat, quos febris æquè, ac pectoris dolor vehementius anget; eos verò, quibus est dolor vagus, & laßitudo per universum corpus, alvi fluxu potius, ac sudore se levatos vidisse retulit.

Circa præservationem:

Primò necessariam arbitratus est viarum expurgationem.

Secundò viatum ex jure, atque carnibus.

Tertiò panem salubrem cum copiâ lacticiniorum.

c De Loc. in  
hom. n. 15.

## SECTIO TERTIA.

## SENTENTIA

*Illusterrimorum Praeceptoris Sancti Spiritus, &  
Custodum Nosocomii Sancti Joannis  
in Laterano.*

**M**Edicorum oratione postmodum absolutâ , adstantes cæteri nonnulla ad ægrorum Urbis Nosocomiorum statum pertinentia , nec non ad œconomiam , viatum , & alia , quæ civibus etiam universis commodo esse poterant , adjecerunt .

II. Nosocomii Sancti Spiritus Commendator primus omnium confirmavit , rusticorum calamitatem , qui in agro Romano morbis corripiuntur , ex eo promanare , quod non ante quintum diem in publica Nosocomia transferantur ; id verò partim ipsorum voluntate sæpe fæpius abnuente , quod spe ducantur , citius ruri sese valedudinem assequuturos ; partim immani eorum avaritiâ , quorum eosdem vehere officium est , qui , cum pro singulorum transvectione de secretis Dñi Nostri largitionibus duodecim circiter argenteos denarios accipiant , tandiù morantur , donec ægrorum numerus augeatur , ut unicâ operâ plures mer-

mercedes lucrifaciant; quod & ipsi Custodes in Nosodochio Sancti Joannis sese expertos esse testati sunt.

III. Omnes præterea consenserunt epidemiam, licet post austri flatum perseveret, sensim tamen diminui; cum in Valetudinariis tam ægrorum, quam defectorum numerus duobus ab illinc diebus admodum decrevisset. Id nobis animum auxit, qui morbum circa futurum æquinoctium majorem partem cessaturum sperabamus.

IV. Sermo deindè habitus est de cibariorum caritate, ac vehementer monopolium, ut ajunt, quod hoc tempore in Urbe fit, culpatum, ovorum præcipue, ac butyri, quæ, cum æquo à propolis emantur pretio, subindè intolerabili venduntur.

V. De carnibus etiam, quæ Quadragesimæ tempore (licet interdum non sine prudenti consilio) carius venales habentur, disputatum est, expensumque in magnâ hac, communique rerum calamitate injustam esse aviditatem, quæ paucis proficiat sub imagine charitatis, universis vero noceat pauperibus.

VI. Demum Eminentiss. Dñus Cardinalis Marescottus hæc omnia describi voluit, Sanctiss. Patri exponenda, velut habitæ Congregationis corollaria.

## SECTIO QUARTA.

## DECRETA

*Congregationis habitæ in ædibus Eminentissimi  
Domini Cardinalis Marescotti, ad  
SANCTITATEM SUAM  
referenda.*

**Q**Uamvis numerus valdè imminutus , tam  
ægrotantium , quām decedentium nos in  
spem erigat , fore ut Divino favente  
Numine , Romana epidemia post æquinoctium  
omnino sit cessatura : nihilo tamen minus hæc ,  
quæ modò ad illam magis , magisque debili-  
tandam conducere posse creduntur , Sanctissimo  
Domino Nostro humiliter exhibentur . Primò  
necessariò mandandum iis , ad quos spectat , ut  
*Mandatum de  
ægris ad Nosoco-  
mia quamprimū  
referendas.*  
ex pagis agri Romani solito citius infirmi trans-  
ferantur ; quandoquidem hucusque non nisi post  
quintam diem miseri ad Valetudinaria transvecti  
sunt , ut proindè viribus destituti , morboque gra-  
vati tanto numero defecerint .

*Medicis regionū  
vigilantia com-  
mendata.*

II. Secundò , curandum , ut Medici regio-  
num Urbis , majori , quâ possunt , charitate , fre-  
quentiâ , ac diligentia pauperes infirmos , eorum  
curæ commissos , visitent , atque , si opus fuerit ,  
alio-

aliorum etiam opera addatur: egenorum itidem familiæ uberioribus eleemosynis leventur.

III. Tertiò, ut lanii à majori lucro Quadragesimæ tempore abstineant, saltem hoc anno, ut quod in suarum filiarum, neptiumque dotes constituendas verteretur, in pauperum universorum, angustis adeò rebus, commodum cedat; id autem Annonæ Præfectus præstiterit.

*Laniorum aviditas coercenda.*

IV. Quartò, ut Urbis viæ, & cloacæ una cum fossis Castris S. Angeli sordibus expurgentur. *Viae purganda.*

V. Quintò, ut Annonæ frumentariæ Præfectus furnos diligenter invisendos curet, ad hoc, ut panis sit ritè, ac salubriter in usum civium paratus. *Panificio invigilandum.*

VII. Sextò Annonæ Præfectus, & Conservatores Urbis sedulò dent operam, ne butyrum, quod propolis tresdecim assibus emitur, triginta (ut propriâ faciunt auctoritate) vendatur, idemque de omni lacticiniorum genere præstandum, quibus publicâ aestimatione certum pretium tempore etiam Quadragesimæ constituere oportet; alioquin inopes, licet Sanctiss. Dñus Noster eorum usum indulserit, illa sibi comparare non poterunt. *Übertati Annonæ prospicitur.*

VIII. Postremò, cum Romæ magna ovorum caritas feratur, hancque propolarum monopolio augeri, qui decem singulis decussibus accipientes, quatuor duntaxat, vel quinque, eadem numeratâ pecuniâ, reddunt: idcirco primùm Præfidi-

*Monopolia inhibita.*

fidibus omnibus scribendum earum provinciarum, in quibus stationes militum minimè fuerunt, Patrimonii videlicet, Umbriæ, Sabinæ, & Maritimæ, ut ibi minori, quo fieri poterit, pretio ova comparent, & Romam ad suppeditandam copiam, celerrimè curent asportanda. Similiter Annonae Præfecto mandandum, ut exploratores tam intra, quam extra Urbem emittat ad monopoliorum autores notandos, qui debitis pœnis afficiantur.

*ss. Dominus cuncta probavit, eoque imperante perficiuntur.*

IX. His auditis, ineffabilis Sanctitatis Suæ Pietas, non modò probavit omnia, sed sine ullâ morâ absolvì, perficique jussit. Undè post paucos dies Urbs sordibus expurgata, ovorum, ac salubrium ciborum affluentia redundavit. Quinimò Illustriss. Bonaventura à Secretis Sanctissimi largitionibus, etsi cruris morbo detineretur, acritamen, quo pollet ingenio, assiduam operam præstítit, ut pauperibus tam ægris, quam adhuc sanis, nec Medici, nec pharmaca, neque victus, neque alterius necessariæ rei, præsertimque ignis copia deesset.

X. Illud non prætereundum existimo, quod postridie me invisentem Principis Ruspuli Conjugem, cum Excellentissimus ejus Vir de Congregationis decretis esset percontatus, rusticorumque miseriā accepisset, quâ est animi pietate, in se ultrò recepit eosdem, ex orâ maritimâ ad Centum Cel-

Cellas, quo loco prædia ditionis ejus maximè patent, in Nosocomia quàm celerrimè exportandos. Quod nobile charitatis argumentum, cum ad Sanctissimum Patrem attulisset, Sanctitas Sua plurimum commendavit, & Eminentissimo Cardinali Marescotto ejus Patruo benevolentiae testimonium exhibuit.

*Excellentissimi  
Principis Ruspoli  
charitas à San-  
ctissimo Patre  
commendata.*

*Progressus tam constitutionis temporum, quàm  
epidemiæ per totum Martium, &  
principium Aprilis.*

## C A P. V.



Um prope Februarii finem, ingenti frigore jam remittente, epidemiam sensim decrescere lætaremur, novo metu percussi, novo periculo objecti sumus. Nam copiosis nivibus in vicinos montes pridie Kal. Martii delapsis, una cum pluviis, & austris; improviso Tiberis elatus est, atque imas Romæ partes inundavit. Quamobrem duorum dierum spatio, paulatim alluvione crescente, cellæ vinariæ in via Ursi, & S. Rocchi, aliisque humilioribus Urbis locis repletæ sunt.

*Metus redinteg-  
ratur tum ex  
nivibus, & algo-  
re redeunte, tum  
ex Tiberis inun-  
datione.*

II. Crevit præterea calamitas, & pavor, cum

Gg rela-

*Exundantibus  
aquis fossa Leoniniæ Civitatis, &  
pratorum scrobes  
appletæ.*

relatum esset, non modò pratorum scrobes, & fossas mœnium Leoninæ Civitatis aquarum exundatione repletas esse; verùm etiam & majorem Castris fossam, licet cataractâ dimissâ aquæ fluminis illinc arcerentur; nam pluviis è cœlo tam rectâ cadentibus, quam obliquè per terræ poros ex altiori Arce subeuntibus, ac penetrantibus, impleta fuerat. Immo, cum post quatuor dies Tiberis intra suum alveum se recepisset; ac propterea in spem venissemus, fore ut magna etiam fossa, sicut pratorum scrobes penè aruerant, evacuaretur, delusi fuimus; cum illam pertinaciter eodem latice plenam intueremur, qui stagnando virere jam, ac fœtere incipiebat. Causâ igitur vestigatâ, compertum est, vetus emissarium antecedentibus fluminis alluvionibus, aggestâ terrâ prorsus occlusum, ita ut elatâ quamquam cataractâ, liber præpediretur effluxus aquarum, quæ cum sordibus eo loco residentibus, corruptioni erant obnoxiæ.

III. Interea complures magnæ aestimationis viri suadere Sanctitati Suæ conati sunt, ut quamprimum è Vaticano, inundatorum pratorum exhalationibus proximo, ad Quirinalem à Tiberi remotum incolendum transiret. Sanctissimus autem Pater, subditorum suorum charitate succensus, nulloque propriæ valetudinis timore correptus, ejusmodi consilium respuit, liberèque respondit:

*Non*

*Non decere Pontificem de sua potius, quam de publicâ salute esse sollicitum. Se adduci nullo modo posse, ut de migratione solita cogitaret, nisi omni alienæ valetudinis metu sublato.* Hinc è vestigio Jo: Baptistæ Contino Sacri Palatii Architecto imperavit, ut nullâ sumptuum habitâ ratione, prædictæ fossæ quamprimum expurgarentur. Ille nihil cunctatus, statim una mecum, tam minorem, mœnium nempe Leoninæ Civitatis, quam majorem Arcis fossam invisens, minorem illicò exonerari curavit, cum liberam haberet cloacam, parumque, aut nihil fordium contineret. Ad majorem verò exhauriendam novum emissarium versus *Tordinonam*, quam vocant, aperatum est, per quod superno profluente latice, majorem partem exinanita fuit. Parva tamen fossula, seu medius canalis, qui vulgò *Cunetta* dicitur, quippè profundior, exhauriiri non potuit, in quo sanè lutulentior humor subsederat, & diuturniori stagnatione computruerat: quamobrem obstructio properè submota est, quæ vetus infarciebat emissarium, seu cloacam inferiorem, quæ propior patet in Tiberim exitus juxta S. Spiritus Nosocomium.

IV. Illud etiam salubriter excogitatum fuit, ut jugis aqua ex Vaticanis hortis, effosso cuniculo sub ponte ad Portam, cui vulgò nomen est *Porta Castello*, affluenter illâc duceretur, ne cras-

*Sanctissimi Patris  
responsum Aposto-  
lico Principe di-  
gnum.*

*Quæ eura siccان-  
dis aquis adhibi-  
ta.*

*Cuniculus ad di-  
luendas fordes ef-  
fusus.*

fiores, & putidiores foides, quæ post fluidioris laticis effluxum ima fossulæ tenebant, deterius contabescerent; sed perenni purioris aquæ cursu diluerentur, atque in flumen abriperentur. Quidquid verò nimiâ tenacitate abstersioni obstitit, excavatis ad latera scrobibus, ut alias, sepultum est. Hæc omnia intra Martium absoluta fuerunt; eodemque tempore cellæ vinariæ à Tiberi inundatæ, cœnoque plenæ, expurgatæ sunt, cum Illustrissimus Præfus Augustinus, viarum Præses Edictum \* promulgasset.

V. Opportunum quoque visum fuit die ix. Martii Arcem universam lustrare cum Illustrissimo Præfule de Marinis Cameræ Auditore, qui Ærario etiam Pontificio tunc temporis præerat, cum quo, præter D. Continum, Illustriss. Dominicus Serlupus interfuit, ut potè qui tunc Propræfecti Arcis munere fungebatur. Probatum fuit, murorum expurgationem absolvi, & insuper jussum, omnes herbas mortuas, palmites, spinasque in fossâ comburi.

VI. Verùm, ut ad temporum constitutionem, ac præfatorum morborum historiam revertamur, silentio non est prætermittendum, quod circa Martii finem, & Aprilis initium, cum aliquot iterum diebus frigus rediisset, inclinans jam epidemia virium aliquantum resumpserit, donec circa medium Aprilem, inopinato, ac ferè æstivo suc-


\* Vide Summ.  
lit.C.

Epidemia circa  
medium Aprilem  
ferè extincta.

cedente calore , penè profligata visa est ; cum unum , aut alterum , ut de Londinensi scripsit Sydenhamius , sparsim feriret ; non tamen omnino pravam indolem depositit , quam post idus Maji alicubi ostendit .

*Popularis morbus in malignam naturam transmutatur . Tandem ineunte Junio definit , ac penitus extinguitur .*

## C A P. V I.



AM , exeunte Majo , vires epidemici morbi conciderant , atque ex longo metu , periculoque Populus Romanus respiraverat ; cum , post effusos imbres , post austri flatus , rursùm aquilones invaluerunt ; quibus reliquæ , ac veluti semina epidemiæ , quæ supererant , rariùs quidem , sed graviùs repullularunt , potissimum apud Urbis regiones Tiberi , fossis , vineis , locisque aliis inquinatioribus finitimas , è quibus fordes , simusque nondum integrè abstersus erat . Etenim malignæ ibi pleuritides emerserunt , quarum atrocitatem nusquam hactenus inter maximos epidemiarum impetus fueramus experti . Sectio namque

*Recurrentibus  
aquilonibus gra-  
viùs recrudescut  
reliquæ epi-  
miae .*

ve

venæ, quæ prius tot ægros à mortis discriminé vindicaverat, mox, versâ in contrarium malorum indole, multos miserè perdidit.

II. Testimonium permutati moris in populari pleuritide inter cætera habuimus ægritudinem cujusdam Monachi, quem nos invisimus ad ripam Tiberis in via Ursi, intra Cœnobium Sanctæ Mariæ in Pusterula. Eo loco, postquam <sup>*Ægroti duo sanguinis missione ad mortem adiunguntur.*</sup> medio Majo rhedarius, & coquus Monasterii, perniciosa peripneumoniâ correpti ex sanguinis missione deterius se habuerunt, vitamque cum morte commutarunt, ipse arcessitus sum, ut adefsem in consilium ægrotanti Parocho Reverendiss. Dño Henrico Noë, qui ob assiduè præstata domesticis moribundis officia pietatis, eundem morbum contagione contraxerat. Erat hic quadragenarius, robustus, habitusque gracilis, febricitabat acutè cum dolore lateris, magno anhelitu, linguâ siccâ, &c, quod plus adhuc urgebat, cum vaniloquio, urinis confusis, & maculis hic illic tertio jam die in cute apparentibus. Agitatum cum doctissimis viris, qui ejusdem curationi præerant, an secunda esset vena, ubi de viro agebatur pravâ quidem pleuritide, sed vigentis ætatis, & validi pulsus. In diversa abeuntibus aliis, ipse multis argumentis evici, non esse mittendum sanguinem; cum non illius copia peccaret, nec purum, ac fervescens sulphur morbum pareret, sed lymphae

*A prava pleuriti de qua cura restitutus ager.*

phæ ubertas, ac lensor, & impurum sulphur cum sale acri luctarentur in sanguine; undè oleosis potius, diaphoreticis alexipharmacis, diluentibus, bechicis, anacatharticis, topicisque laxantibus curationem incohandom, absolvendamque. Propinatum igitur statim fuit oleum amygdal. recenter tractum ad uncias quatuor cum duobus granis camphoræ; admota dolenti lateri fomenta, necnon adhibitæ universo corpori frictiones, & siccæ cucurbitulæ. Alvus interim ab oleo soluta, aditum præbuit diaphoreticis, ac dissolventibus ex sanguine hircino, rasurâ dentis apri, stibio dia-phoretico, mandibulâ piscis lucii, & cor. cer. philos. præp., copiosis itidem sorbitionibus, partim ex jure tenui, castigato rasurâ cor. cer. rad. scorzoneræ, & flor. papau. rhead. partim ex aquis stillat. scabiosæ, & card. sanc. quibus lapis histricis infusus fuerat. His porrò medicamentis largus sudor quintâ die erupit, & anacatharsis liberè promota est, quibus evacuationibus perdu-rantibus, æger feliciter, ac sine ullo relapsu convaluit.

III. Hinc intelligit unusquisque, quam ne-  
cessit sit, ut, variantibus quoquo modo in popu-  
lari etiam morbo causis, & signis, illicò medela  
varietur; ne facultas levandis ægris divinitùs  
data, in perniciem potius, incuriâ Medicorum  
vertatur; quod tunc præcipue accidit, cum theo-

*Variantibus si-  
gnis, & causis  
medela varian-  
da.*

re-

remata medica , tanquam geometrica axiomata Clinici sequuntur ; quasi verò utraque abstracta , nihil à materia , ejusque affectionibus penderent . Cæterum , cum vagi , & inconstantes epidemiæ alicujus vices , moresque fuerint ; in quacunque earundem mutatione semper melior est conditio illorum , qui posteriùs , quàm qui priùs ægrotaverint ; nam Medici ex priorum exitu , aptiora passim ad curam insequentium documenta depromere solent ; ut ingenuè advertit Franciscus Vallensis <sup>a</sup> , & nos ipsi , tūm aliàs , tūm maximè postremis hisce in casibus experti sumus , in quibus nemo non videt , conditionem Parochi , permutatâ epidemiæ indole , meliorem fuisse , quàm coqui , ac rhedarii , qui , cum primi in novam morbi speciem incidissent , obierunt .

<sup>a</sup> In Comm.  
lib.1.epid.sec.3.  
super hist. Clas-  
zomenii pag.78.

Ineunte Junio  
epidemia penitus  
proficata est.

IV. Tandem Superis gratiæ , laudesque , principio Junii , cum multi dies nullis ventis turbati , immò constanti serenitate læti illuxissent , æstus invaluit , atque solutis , dissipatisque impuri nitri particulis , atmosphæra puriori æthere sensim revirescens , omnes penitus epidemiæ reliquias à nobis excussit .

Επιδημία

Epi-

*Epidemiæ Historia duabus epistolis  
ulterius illustratur.*

## C A P. U L T I M U M.



ON abs re futurum visum est nobis, si, nihil prætermittentes, quod argumento nostro qualemcumque lucem afferre possit, epistolam subjicemus eruditissimi Viri Jo:Fantoni, unâ cum nostrâ, ex quibus uberiorius constat, quâm latè per totam Europam rheumatica epidemia pervagata sit; neque ullum fuisse peculiare Romani cœli vitium in universali illâ omnium ferè provinciarum calamitate culpandum. Hæc igitur ad me clarissimus Fantonus.

VIRO ERUDITISSIMO, AMPLISSIMOQUE

D. JO: MARIAE LANCISIO

ARCHIATRO PONTIFICIO.

*Jo: Fantonus S. P.*

II. Bina ægritudo corripuit me, postquam literæ tuæ elegantissimæ postremò ad me perva-

H h

ne-

nerunt; prior cutanei doloris, & cardialgiæ species, altera cum tussiculâ faucium angustia, & cephalalgia celeriter me invasit, & paucos intra dies dimisit. Prioris medela morbi sudor extitit, atque purgatio; alterius in lecto requies, silentium, somnus, sobrietas, caldiuscula potio. Hyemem rigidissimam præmaturus austus excepit, parrens vigentis apud nos epidemiæ, quâ tertia pars civium tussi, anginâ, coryzâ, varioque rheumatismo vexatur. Neque verò diuturnæ sunt, neque perniciose ægritudines; quanquam miserrimos passim in oppidis Pedemontii homines multos mori, ut in Galliâ, accepimus.

III. Iraisci adversæ forti non parum soleo, minus ob corporis mala, quæ passus sum sævisima, quam ob intercepti studii causas. Enim verò hyems tyranna difficiles passim ægritudines curæ nostræ dedit, & quod supererat otii nobis animandis luculento foco impendebatur. Nunc popularis morbus assiduè nos habet sollicitos, neque adhuc salus nostra confirmata est. Verùm hisce malis, atque laboribus suis tandem, &, quod speramus, brevi erit terminus: quidque tua in me consilia præstiterint, totus orbis spectabit.

IV. Ego interim, ut firmiter valeas, Deum precabor, & boni omnes precabuntur; magni enim interest, tantum nobis Fautorem diutissimè servari.

Augustæ Taurinorum die xxvi. Februarii MDCCIX.

VIRO

VIRO CLARISSIMO, DOCTISSIMOQUE  
D. DOCTORI JOANNI FANTONO  
Medicinæ, & Anatom. Profess. Celeberrimo.

*Jo: Maria Lancisius S.P. D.*

V. Miseram quidem, sed opportunam ex epistolâ tuâ consolationem accepimus, Vir doctissime; cum enim non sit cuique dolendum in eo, quod accedit universis; profectò de illâ morborum epidemiâ, quam tota Gallia Cisalpina, Hetruria, & Latium usque Neapolim decursu inclinatæ jam hyemis graviter pertulerunt; nobis tantò nunc minus expostulandum, querendumque esse videtur, quantò magis hoc ipsum ægritudinum genus ex aliis in Belgio, ex te verò isthinc, & in Galliâ populariter vagatum esse audivimus. Quid, quod propè injuriosi, & contumeliosi essemus in Deum, si de communi infortunio pertinaciùs doleremus, quippè qui Europæ plagam, ad meridiem conversam incolentes, proindèque hyemali asperitati, quæ maxima hoc anno, & solito diuturnior apud nos fuit, minus quam Insubres assueti, plus etiam substinere malorum debuissemus, nisi præsens, & summa Sacratissimi Pontificis charitas, & providentia incolarum,

H h 2

ad-

advenarum, accolarumque calamitatibus properè, & largiter succurrisset? Etenim vigilantissimus Princeps, cum primùm sensit, duriori ex frigore gravem annum urgere, omnem curam, ac follicitudinem impendit, ut, cum nihil aëris intemperiei desuper immisæ, per humanas vires detrahi posset, omnia saltēm, quæ ex probis alimentis, & potibus, aliisque vitæ nostræ subsidiis, derivari, nostrumque renixum augere quomodo valent, pauperibus, in quos præsertim libitina defævit, abundè sufficerent. Videbit, spero, aliquandò lucem dissertatio, quam de hoc argumento cursim quidem, sed tamen fideliter exaravimus. Neque forsitan philosophandi methodum in illa aspernaberis, cum cernes, præmissâ tempestatum constitutione, nos universam malorum causam in duorum coitione principiorum rejecisse; quorum alterum putamus impeditam perspirationem externarum, internarumque superficierum; exindè enim, juxta varia corporum discrimina, modò rheumaticæ solum, modò acutæ febres profectæ sunt; alterum verò infusum ab aëre sal acidum, verosimiliter nitrosum, cuius miscellâ coacti latices, pro diversis pariter suscipientium temperamentis, coryzas, tuffes, anginas, pectoris dolores, pleuritides, aliasque rheumaticas passiones in iis præcipue locis induxerunt, ad quæ frigidus potissimum aër nudo contactu pervenit.

Quæ-

VI. Quærentibus verò , quamobrem hujusmodi mala , cæteroquin ab aquilonari tempestate produci solita , ut scripsit Hippocrates <sup>a</sup> , multos hoc tempore homines , quos primùm , boreâ flante , non corripuerunt , præmaturo subindè austro reflante , illicò invaserint ; satis arbitror factum , si advertendum proposuerimus , austrum , qui mediâ hyeme , diuturno , vehementique boreæ statim succedit , eundem penè refluxum esse aëris nitroso sale imbuti , qui aquilonis pennis ex septentrione versus meridiem paulò ante volavit . Unde hic ventus , tantò quidem fraudulentior boreâ reputandus est , quantò , levi sulphure recens imbutus , minus **cautos** reddit homines , quibus apparenti tempore blanditur ; atque idcirco in causâ est , ut , laxatâ nostrorum vasorum texturâ , inquinati latices , qui adhuc cum sanguine apud multos sine crimine ferebantur , in membranarum , glandularumque folliculos facilius irruant , ibique pro illorum ingenio , diversa rheumata producturi , subsistant .

VII. Sed linquamus hæc plena mœroris , & ad læta veniamus . Porrò firmatâ corporis tui valetudine , studia feliciter per te repetenda confidimus . Solent enim illud emolumentum nonnullæ ægritudines nobis afferre , ut partim refocillatis per otium cerebri fibris , partim depuratis cum sanguine spiritibus , sapientiores eva-

<sup>a</sup> 3.Aph.5.&6.  
epid.sec.7.

da-

damus. Te interim precor, ut mei sæpè memineris, qui tui nunquam possum oblivisci. Vale.

Romæ vii. Kal. Aprilis MDCCIX.

*Epilogus, & Conclusio totius  
Dissertationis.*

**E**T incolis igitur, & exteris jam fidem liberavimus, cum ob oculos exposuerimus quid Romanum cœlum commendet, quid rursus noxæ periculum afferre possit; ut quam sibi vitæ rationem utrique eligant, & quam purgando ab aquis hærentibus solo, tuendisque à summo algore corporibus curam impendere debeant, ex vetustis, & recentibus historiarum, atque exemplorum monumentis, ex illustrium Medicorum monitis, ac nostris utcunque animadversionibus intelligent. Et quanquam Urbem, non exigua sui parte, humili loco subsidentem, atque australibus, africisque ventis objectam cernamus; hinc tamen potius argumento inferendum, Dei consilio factum esse, ut Roma, Orbis futura Domina, & Magistra, ita demum perenni salubritate frueretur, si omnis victus, morumque intemperantia depellatur, & sedulis Magistratum studiis ad publicæ incolumitatis custodiam fœderatis, labi cuicunque adventitiæ protinus occurrat. Nemo igitur post hac de nativâ Romani cœli

*Situs Urbis incolarum temperantiam potissimum postulat ad salubritatem conservandam.*

fa-

salubritate dubitabit, modò oculis saltem suis credere velit, ubi nimirùm, alternantibus vallisibus, collibusque, mixtum soli locum, feracissimos campos, & theriacalibus herbis abundantes, & salubribus euris, zephyris, & aquilonibus perflatos; aquas innoxias, fruges, laetificinia, & carnes lectissimas; tum incolas optimo colore, & acri ingenio, & morum suavitate præditos; tum senes longævos, atque eâ in ætate corporis, ac mentis viribus maximè pollentes intueatur. Quamobrem nihil ad Urbis felicitatem à DEO O. M. defuit, cui propterea summoperè gratulandum nobis est, quod tantis vitæ, morum, & valetudinis præfidiis, in ipsa Religionis Arce sub CLEMENTISSIMO PRINCIPE perfruamur.

*Nativa salubritatis argumenta recensentur.*

F I N I S .

SUM-

# S U M M A R I U M E D I C T O R U M,

Quæ in decursu rheumaticæ  
Epidemiæ indicata  
fuerunt.

*Lit. A.*

**E D I C T U M,**  
*Ut Urbs à sordibus quām citissimè expurgetur.*

## E D I T T O

Contro chi lascierà calcinaccio , letame , stabio ,  
& altre immondezze nelle Strade , e Piazze  
della Città di Roma.

*FABRIZIO AUGUSTINI Chierico di Camera,  
e Presidente delle Strade .*



EDENDOSI raccolta nelle Strade ,  
Vicoli , Piazze , & altri luoghi  
di quest' Alma Città una straor-  
dinaria , & intollerabile quantità  
di stabii , letami , calcinacci , &  
altre immondezze , che non so-  
lamente inducono deformità , &  
impediscono il libero transito ,  
ma , cagionando in oltre gran fe-  
tore , possono portare un notabile pregiudizio alla fa-  
lute de i Cittadini , & essendo ciò pervenuto a notizia  
di

di Sua Santità, ha col suo paterno zelo ordinato , che si proveda prontamente a tal disordine, deformità,e pregiudizio . Onde Noi di comandamento espresso della Santità Sua, datoci in voce , e per l'autorità del nostro officio, inerendo ancora ad altri Editti sopra di ciò in altri tempi pubblicati, espressamente ordiniamo , e comandiamo per il pubblico servizio , che tutti quelli , i quali tengono stabii,letame,& altre immondezze avanti le loro case, stalle,rimesse,alberghi,ò altri siti di questa Città, quantunque sieno di qualsivoglia stato,grado, e condizione , e benche degni di speciale , & individua menzione; ancorche Ecclesiastici, e luoghi pii , debbano dentro il termine di giorni otto , da correre immediatamente dalla pubblicazione del presente, levare , e far levare li detti stabii , letame , & altre immondezze; e quelli, e quelle rispettivamente portare, e far portare nelli luoghi soliti, o in altri luoghi proprii, & opportuni a riceverli, purché non apportino, nè possino apportare impedimento al libero transito, nè nocumento alcuno alla pubblica salute, in modo tale , che dette strade, vicoli, piazze, e luoghi restino dentro detto termine del tutto liberi , e politi sotto la pena a chi contraverrà di scudi venticinque d'oro , e d'altre pene corporali, e pecuniarie a nostro arbitrio , secondo la qualità de' casi, e condizioni personali,da incorrersi ipso facto per ciascune , & in ciascuna volta , che si contraverrà ; notificando inoltre , che dette immondezze in caso di contravvenzione si faranno portar via a spese de i delinquenti, e si starà alla semplice relazione di qualsivoglia Esecutore, o di un solo testimonio , e si procederà anche per inquisizione irremissibilmente , & alle sudette pene faranno tenuti li Padroni , Cocchieri , Garzoni , & altri huomini , & operarii ,e ciascuno di loro insolidum .

Parimente ordiniamo, e comandiamo espressamente, che in avvenire non si gettino più in conto alcuno nelle sudette strade, vicoli, piazze, & altri luoghi, i sudetti stabii, & immondezze, o pure dovendovele gettare, per non haver commodità di tenerle dentro le italle, rimesse, alberghi, & altri luoghi chiusi, si debbano levare, o far levare, e portar via, come sopra, di mattina in mattina, o almeno di giorno in giorno onniamente, in modo tale, che non vi si cumulino, e non vi si arrestino per due giorni intieri, alla riserva de i giorni festivi di precetto, sotto le pene sudette, da incorrersi come sopra.

Che li Cocchieri, Carrettieri, Stabiaroli, & altri, che portano via detti stabii, letame, & immondezze, debbano portarli ben custoditi, uniti, e reparati di modo, che nè pure una minima parte di essi ne cada per le strade, e piazze sudette sotto le medesime pene di sopra espresse a chi contraverrà.

In quanto alli calcinacci, & altre immondezze anche espressamente ordiniamo, e comandiamo, che in niun modo, e sotto qualsivoglia pretesto si scarichino, e buttino nelle strade, & altri luoghi sudetti, e nè tampoco nelle muraglie di questa medema Città, ma debba ogn'uno portarli alli luoghi soliti, e consueti, e nell'istesso tempo spianarli, e pareggiarli in modo, che non faccino rialti, nè sfossature, sotto le pene già espresse, inculcando inoltre, che si caminerà anche in ciò contro i trasgressori nella forma espressa di sopra.

Si avverte intanto ad ogn' uno, che si procederà alle sudette pene irremissibilmente, e non si attenderà alcuna scusa, o pretesto, nè tampoco qualsivoglia licenza, patente, privilegio, o esenzione; poichè queste, e questi s'intendono, e sono già stati espressamente con altri Chirografi Pontificii, e pubblici Editti rivocati, &

an-

annullati , sicome Noi rispettivamente d'ordine della Santità Sua di nuovo col presente li rivochiamo , & annulliamo , e di niun'effetto , e vigore li dichiaramo , dandosi con questo ampla facoltà , & autorità a qualsivoglia Esecutore di procedere , e catturare li Trafgressori , trovandoli nell'atto della controvensione , con darne poi relazione all'Offizio del nostro Tribunale .

Il presente Editto , affisso , e pubblicato che farà ne' luoghi soliti , e consueti , astringerà , e legarà ogn'uno , come se gli fosse stato personalmente presentato .  
Dato in Roma questo dì 4. Febraro 1709.

F. Augustini Ch. di Cam. e Presidente  
delle Strade.

Ugo Ottaviano Accoramboni Maestro  
di Strada .

Francesco Lancia Maestro di Strada .

Angelo Vitelleschi Maestro di Strada .

Luzio Savelli Maestro di Strada .

*Francesco Nicola Orsini Not.*

*Die, mense, & anno, quibus supra, supradictum Edictum affixum,  
& publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, & in acie  
Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Orbis per me  
Petrum Paulum Sperellum Eminentiss. & Reverendiss. D. Card.  
Cam. & Illustriss. DD. Magist. Viarum Mandat.*

*Lit. B.*

**E D I C T U M ,**  
*Quo currentis Quadragesima tempore per-*  
*mittitur usus ovorum, & lacticiniorum.*

## EDITTO.

*GASP ARO per la misericordia di Dio Vescovo di Sabina , della S.R.C. Card. di Carpegna, e della Santità di N. Sig. Vicario Generale &c.*



A Santità di Nostro Signore havendo inteso con suo sommo dispiacere , che le nevi lungamente cadute , & i geli straordinarii , e pertinacemente duratine' prossimi passati mesi, habbiano cagionato , e tuttavia cagionino nella maggior parte degli Abitanti di quest' Alma Città di

Roma alcune infermità pericolose con notabile mortalità, hà col suo Paterno zelo fatto consultare i più periti, & esperimentati Medici della Città per rintracciarne l'origine, e procurarne la cura ; e perche la medesima Santità Sua hà udito con sommo suo dolore, che questi mali derivano da copia grande d'umori acri, e salini, e che potrebbero prendere un grandissimo accrescimento dall' uso de' cibi Quaresimali , tanto più, che con la penuria dell'herbe , che per la stessa cagione de i freddi eccessivi, si sono inaridite , viene a mancare un'

un'humido, e benigno temperante de' fudetti sali; perciò con la paterna sua carità si è degnata, ad oggetto di ovviare a i fudetti mali, di mitigare alquanto il santo rigore della presente Quaresima, dispensando con tutti gli Abitanti di Roma, sue Vigne, e Casali di potersi cibare, a riserva delle Tempora, e de i giorni di Venerdì, e di Sabbato, d'uova, e latticinii, dalla prima Domenica di Quaresima inclusivè, fino alla Domenica delle Palme exclusivè. Non intendendo però di esimere alcuno (fuori che ne i giorni delle Domeniche) dall'obbligazione del digiuno, siccome si ordina nell'Editto da noi pubblicato per l'osservanza della Quaresima al num. 7. quale vuole la Santità Sua, che eccettuata la fudetta Dispensa, resti in tutto il suo vigore, e con le medesime pene.

In tanto sono esortati tutti da Sua Beatitudine a compensare la fudetta permissione con la maggior frequenza de'Santi Sagamenti, con l'accrescimento delle orazioni, limosine, & altre opere di pietà. Ma più particolarmente dichiara, che chi si vorrà servire della presente Dispensa, debba recitare cinque Pater noster, e cinque Ave Maria in ciaschedun giorno, per implorare il Divino ajuto nelle correnti calamità del Christianesimo.

Finalmente vuole Nostro Signore, che questa Dispensa si estenda a tutti i Religiosi dell'uno, e dell'altro sesso, fuori che a quelli, i quali hanno il voto d'osservar vitto quaresimale. Dato questo di 16. Febraro 1709.

G. Card. Vicario.

N. A. Cuggiò Secr.

Lit.C.

*Lit. C.***E D I C T U M ,**

*Ut desides aquæ, cœnoſaque corpora post Ti-  
beris inundationem amoveantur .*

**E D I T T O ,**

Che si nettino le Case , e le Cantine, dall' Acque, &  
immondizie lasciatevi dall' escrescenza  
del Fiume Tevere .

*FABRIZIO AUGUSTINI Chierico di Camera,  
e Presidente delle Strade .*



NVIGILANDO sempre più la Santità di Nostro Signore con il suo Paterno zelo alla salute , & all'indennità de' suoi sudditi , e conoscendo quanto farebbe nocivo all'aria di quest' Alma Città, se opportunamente non si provvedesse allo spurgo tanto di tutte le Case , Cantine , Cortili , e Pozzi esistenti dentro di Roma, e sue adjacenze , quanto de' Fossi, de' Prati, delle Vigne, e di altri luoghi posti fuori di Roma, dalle acque, & immondizie restate per l'escrescenza del Fiume Tevere , molto più attesa l'insalubrità della presente Stagione . Quindi è , che di comandamento espresso della Santità Sua , datoci in-  
vo-

voce, e per l'autorità del nostro Officio ordiniamo a tutte, e singole Persone di qualsivoglia stato, grado, e condizione, di luoghi Pii, Ospedali, e di Chiese, & à qualunque altra persona, che havesse bisogno anche di speciale, e specialissima menzione, che dentro il termine di giorni trè, da principiare dal dì della pubblicazione del présente, e da correre in tutti li giorni, anche festivi, debbano dar principio a spurgare, e continuare senz'alcuna intermissione fino all'intiero spурго delle loro Case, Cantine, Cortili, Pozzi, & altri luoghi tanto dentro la Città di Roma, quanto nell'adjacenze alla medesima, e dove sieno penetrate l'escrescenze fudette del Fiume. Volendo ancora, che debbano nettare li fudetti luoghi da tutte le altre immondezze, cioè letami, e materie, che per questa, o per altra cagione poteffero esser fracide, guaste, e putrefatte; e che in qualsivoglia modo rendessero, o causassero fetore, o producessero altra cattiva esalazione, non intendendosi però di calcinacci, o altri materiali sodi di qualsivoglia forte, e dette immondizie, matrico, & altre materie simili, ordiniamo si portino alli luoghi soliti assegnati per li medesimi scarichi, sotto pena di scudi cento per ciascheduna trasgressione passato detto termine, & altre pene anche corporali, secondo le qualità personali a nostro arbitrio; avvertendosi, che si starà alla semplice relazione d'un solo Testimonio; per le quali pene si procederà irremissibilmente manu Regia, & more Camerali con ogni rigore.

Si avverte in oltre, che nella fudetta pena incorreranno tanto i Padroni, quanto i Pigionanti, & Affittuarri rispettivamente, e qualunque altro, volendo, che gli detti Affittuarri, Conduttori, e Pigionanti nel termine di altri due giorni immediatamente seguenti sie-

no

no tenuti a spurgare, e pulire come sopra , caso che li Padroni non eseguissero , & effettuassero detto spурго, e polizia in detto tempo, come sopra : non rimettendo però la pena incorsa da detti Padroni, nè meno a i Pigionanti , ed altri sudetti , che faranno tenuti ad interpellare i Padroni, per il detto spурго in loro mancanza, e si procederà contro gli uni , e gli altri indistintamente, nè si ammetterà alcuna scusa , nè pretesto , e salva sempre la pronta esecuzione di dette pene contro li Padroni , Possessori , Pigionanti , & altri sudetti . E quando tutti mancassero , si faranno pulire , e levare le dette acque, immondezze, e matrico de facto ex officio a loro spese, danni, & interessi , per li quali si procederà de facto , & manu Regia tanto contro a i Padroni diretti, quanto a i Pigionanti, Inquilini, Affittuarri , & altre Persone sudette , oltre alle pene , come sopra .

